VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
25 A
24 M
1460 A 19

K. 12. 163.

X a 13

3. A. 37.


יהוה
Pacem te poscimus omnes
MANUALE
PACIFICUM
Quod Irene struit
Bellona destruit
I. G. Göbel. Sculps.

MANUALE
Pacificum
GVIL. IGNAT. SCHÜTZII,
cum Notis
HEYDENI BORROMEI
RICCRUNTI.

Notæ & Animadverſiones
in
Dn. GUIL. IGNATII
SCHÜTZII, JCti,
MANUALE PACIFICUM,
Quibus

Ea, quæ cum principiis revelatis, nobiſcum natis, Juris item publici atq; privati, in Imperio Romano-Germanico recepti, conveniunt, latiùs confirmantur, ea verò, quæ his adverſa, in præjudicium & odium religionis Evangelicæ, ab ipſo aſſerta ſunt, ſuccinctè examinantur & refutantur

Ab
HEYDENO BORROMEO
RICCRUNTO,
cum Appendice
Aliquot Quæſtionum parallelarum cum Indicibus neceſſariis.

Veronæ Germanorum
A. C. M. DC. LXXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eſaiæ 48. verſ. 22.
& geminatâ vice
c. 57. v. 21.

Non eſt PAX Impiis,
dicit Dominus.

2:5

Digitized by Google

Manuale Pacificum,

SEU

QVÆSTIONES VIGINTI,

Ex

Inſtrumento Pacis, Religionem ejusque Exercitium concernentes,

Compilatæ & in Lucem editæ,

à

GUIL. IGNAT. SCHÜTZ, JCto,

Ejusdemq; Pacis, olim ad partes Rheni ac Sveviæ Executore Subdelegato.

FRANCOFURTI,

Anno M. DC. LIV.

Poſtea

Ab ipſo Autore reviſæ,

jam recuſæ,

Juxta Exemplar Spirenſe Anni 1683.

ab eodem recognitum & propriâ manu correctum.

Anno M. DC. LXXXIX.

Dicentes:

Pax, Pax, & non erat Pax.

Jer. cap. 6. verſ. 14.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOACHIMO,

Eccleſ. Fuldenſis Abbati, S.R.I. Principi, Divæ Auguſtæ Archi-Cancellario. per Germaniam & Galliam Primati, L. Baroni Imperii de Gravenegg.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

COnſecrari ſolent libri Principibus, ut, ſiniſtris quandoque notati cenſuris, habeant, quorum patrocinio ſe tueantur. Non ego hoc timeo, eſt enim Libellus *hic merè* pacificus, *& nil, niſi quod toti S. R. Imperio*, quoad Religionem ejusque exercitium, ſive publicum, ſive privatum, *inter ejusdem* Imperii Status *perpetuò ſervan-*

A dum,

dum, placuit, continet. Eum Celſitudini Tuæ ideò conſecro, ut ſubditi tui, quà Eccleſiaſtici, quà Seculares, illo quadantenus adjuti, cum ſuis diverſæ religionis concivibus, & vicinis, ſecundùm mentem Tuam pacificam, pacificè *vivere valeant.*

Reverendiſs. & Illuſtriſs.
Celſit. Tuæ

Dabam Fuldæ 15. Octobr.
Anno 1654.

Servus humillimus

SCHÜTZ.

PRÆ-

PRÆFATIO
ad Illuſtrem Dn. Autorem *Manualis Pacifici* SCHÜTZIUM.

UT ſæpius ê vultu de hominis tùm valetudine, tùm ingenio & moribus, judicari poteſt, ita è fronte & primo quaſi aſpectu libelli tui, *Illuſtris Dn. Schüzi*, protinus pateſcit, quid ille in receſſu habeat. Specioſum gerit nomen *Manualis Pacifici*, ſed, qualem de *Pace*

foveas ſententiam, haud obſcurè innuis hiſce *Jeremiæ* verbis, tergo tituli impreſſis, *Dicentes Pax, Pax, & non erat Pax.* Unde non vanè colliget *Lector*, externè & *in ſpeciem* quidem à te commendari *Pacem*, *re* autem *vera nullam* agnoſci. Scilicet, conſultum tibi non fuit viſum, *Inſtrumentum Pacis* directò & apertè impugnare, quod *Papa* per *Legatum* ſuũ fecit, *proteſtatione* contra *Pacis conventionem* interpoſitâ. Ad aliam ergo eamque ſubtilio-

rem

rem confugiſti rationem, occultè & velut per cuniculos ſubruendi *pacem.* Tradidiſti illam *Quæſtione* IV. inter alia præfatus: *Eandem Reformatos Proteſtantibus retuliſſe gratiam, quam Catholicis adhuc hodie referrent Proteſtantes, quod ad plurima hactenus intra & extra eorum Eccleſias emanata, in Auguſt. Confeſſ. autem irreperibilia, hactenus connivêre.* Queîs ſatis indicas, *Catholicos* non eſſe obſtrictos, ut tolerent, quoad *religionem*, ea, quæ

in *Auguſt. Confeſſ.* haud repe-riuntur, ſed ex gratiâ tantùm ad illa connivere. Quibus ma-jorem afferunt lucem, quæ affers *Quæſtione* ſequenti V. & *quæſtione* XIX. Cum igitur moderni *Proteſtantes* non ad-ſtipulentur ſolis dogmatibus & ceremoniis, in *Auguſt. Con-feſſ.* expreſſis, te quidem Judi-ce, fruſtra illos crepare *Pacem, Pacem*, ubi nulla *Pax* illis, quâ talibus, ſit promiſſa.

Id ipſum probare olim ſat-egerunt *Dillingenſes* in *Com-poſitione Pacis* c. 2. Quæſt. 13. quo-

quorum ſecutus exemplum, non tantum blandum *Pacis* titulum tuo præfixiſti libello, ſed &, eâdē ſervatâ per Quæſtiones tractandi methodo, quàm plurimas perniciofas eorū aſſertiones, veluti crambem recoctam, denuò propoſuiſti, ut, qui *Manuale* tuum *Pacificum* cum *Compoſitione Pacis* conferunt, facile te genuinum *Dillingenſium* agnoſcant diſcipulum.

Hi cum anno hujus ſeculi vigeſimo nono ceciniſſent *Claſſicum*, & inſtigatores ex-

titiſſent funeſti *belli Germanici*, publico tandem experti ſunt damno, quàm graviter execretur *Deus* peſſima ejusmodi conſilia, ad pacis & tranquillitatis publicæ ruinam tendentia. Equidem, ſi fidem datam ſervare nolis, nunquam deerunt cavillationes, quibus clariſſimas quoque conventiones eludes elidesque. *Deo* tamen, juſto perfidiæ vindici, toties pœnas dedere, cùm qui expreſsè, tùm qui obliquè, pravis in medium allatis commentis, egerunt contra fidem, hoſti-

hoſtibus, hæreticis aut quibuscunque aliis datam, quod exempla non tantùm præteritetorum, ſed vel maximè temporum, quæ jam tranſigimus, abundè comprobant, & cum omnibus pateant, ea prolixè recenſere ſupervacaneum arbitror.

Ut *Dillingenſes* ſuis, armorum ſucceſſu tum ſatis accenſis, calcaria adderent, inter alia etiam ſequentia in ſpem certam victoriarum ſequentium ſcripſere *Quæſt.* 17. §. 13. *Coronidis loco annectam*,

quod ante obſervatum fuit, & temporis præſentis bello Germanico decennali magis confirmatum: Quotieſcunque Catholici cum Novatoribus prælio certarunt, victores illos fuiſſe, nunquam victos. Id Belgæ ſciunt, Helvetii Catholici gloriantur, Tillius glorioſus & alii experti ſunt; Civitates per vim occupare, arces & pagos vaſtare, inſidiis ac dolo adverſarios ſuos cædere, quandoque potuerunt Proteſtantes, ſed Marte aperto nunquam. Hæc

nimi-

nimirum DEI providentia eſt, hoc auxilium Eccleſiæ ſuæ promiſſum, ac teſtimonium veritatis. Sed & alia cauſa eſt, cur in bello contra Catholicos non vincant Novatores, quia Sanctorum in cœlo apud Deum opem Sectarii non habent. Hæc *Dillingenſes*, non tantùm contra manifeſtam *Belgicorum* & *Gallicorum Annalium* fidem, tum proferre non erubuerunt, ſed &, quod mirêre, illa ipſa tempora, quibus talia ſcripſerunt, contrarium demonſtraverant

in

in *Poloniâ*, tot victoriis *Guſtavi Adolphi*, *Sveciæ Regis*, celebratâ. Et ſi, quod volunt *Dillingenſes*, è victoriis judicanda eſt religionis veritas, temporibus *Husſitici* & *Sveco-Germanici bellorum*, omnium, quæ unquã *Religionis* causâ geſta ſunt, maximorum, *Religionem Pontificiam* oportet fuiſſe falſam, cum ipſi vix ſemel atque iterum vicerint, tot nobiliſſimas verò *Husſitæ* & *Proteſtantes* de ipſis reportarint victorias; imò ille ipſe *Tillius*, quem tanto-

pere

pere extollunt *Dillingenſes*, ſuo tandem docuit exemplo, vaniſſimam fuiſſe horum obſervationem. Cum igitur in rebus facti, ubi ab omnibus falſitatis apertè convinci poterant, tam impudenter ſint calumniati *Dillingenſes*, quid de ipſorum collectionibus, jus concernentibus, erit præſumendum? Et tamen hos delegiſti *Magiſtros* in conſcribendo *Manuali* tuo, quod hinc inde vernat *Dillingenſium* floſculis, quamvis veritas etiã quædam *Scripturæ S.*

&

& *ſanæ rationi* congruentia tibi expreſſerit.

Cum ergò noſtræ interſit religionis, *Lojolitica lolia*, in publicam pernitiem denuò ſuppullulantia, radicitùs evelli extirparique, cætera verò rectè dicta pleniùs confirmari, Animadverſiones quaſdam *Manuali* tuo adjicere, & hâc ſimul occaſione alias quaſdam materias, religionis cauſam ſpectantes, pertractare volui. Quater repetita impreſſio *Manualis* tui *Pacifici* (unà cum eâ, quam *Fritſchius*

ſchius juri ſuo Eccleſiaſtico inſeruit) ſatis oſtendit, multos tituli ſvavitate materiæque utilitate captos avidè illud ſibi comparaſſe. Ne verò incauti decipiantur, aut alii tuâ inpoſterum abutantur autoritate, qui non tantùm *Pacis Oſnabrugenſis* olim *ad partes Rheni ac Sveviæ Executor ſubdelegatus*, ſed & *ſupremæ Imperialis Cameræ Judicii* hactenus extitiſti *Aſſeſſor*, *Quæſtiones* tuas absq; *Notis* duxi non transmittendas. Tu ætate jam gravis & rerum experien-

perientiâ magis edoctus forſitan ſaniora jam tenes principia, quàm quæ olim ante triginta & quinque annos, cum *Manuale* tuum ſcriberes, ſuſtinuiſti. Ad quæ confirmanda aut elucidanda, ſi quid *Notæ* meæ conferre poſſunt, eſt, quod mihi & tibi gratuler; & ſi, quod ſpero, *veritatem* amas, me, propter ejus profesſionem liberam & apertam, odio non habebis. Vale.

Scribebam in otio *Acidularum Grumbacenſium*, Cal. Junii M. DC. LXXXIX.

Tui Obſervantiſſimus

H. B.

Ger-

GERMANO LECTORI.

N*On eſt mihi mens, in ſequentibus Quæſtionibus, aut Judicium, aut interpretationem, multò minus Impugnationem* Inſtrumenti Pacis *ſuſcipere. Illud enim* Sac. Cæſ. Majeſtati, *tanquam ſupremo Executori Pacis, intactum; iſtud eis*, qui vires Imperii intrinſecus norunt, paciq; componendæ inſudârunt, *meritò relinquendum: Hoc Art. 5. §. 15. verſ.* utriusque *ſeverè, & rigorosè prohibitum ſcio. Verùm, cum nec omnibus* Inſtrumentum Pacis *ad manus ſemper, nec contenta ejus perſpecta eſſe, ſæpius, in Commisſionibus habitis, expertus fuerim; ea, quæ* Religionis exercitium *tangunt, excerpere, & in ſimplices Quæſtiones aliquas reſolvere volui, non tam ipſo verborum ſenſu, quam (ut poſſibile fuit) literâ ipsâ ſervatâ. Tuum*

nunc erit, illas legere, & ſine contradi-ctione cuſtodire, niſi in Art. ult. verſ. qui verò, *ibidemq; conſtitutas pœnas, incurrere velis.*

ARGUMENTUM:

DIcitur *Inſtrumentum Pacis* Art. 5. § 1. verſ. *Transactio.* Eſſe *Transactio-nis* An. 1552. *Paſſavii initæ, & hanc* An. 1555. *ſecutæ*, ſæpiusq; confirmatæ *Pacis Religionis*, in nonnullis hucusque controverſis Articulis [in aliis omnibus capitulis ratæ, ſanctè & inviolabiliter ſervandæ] tam in Judiciis, quàm alibi perpetuò obſervanda *declaratio.*

NOTÆ.

Art. 5. §. 15. verſ. utriusq;) Locus ab *Autore* hîc allegatus habetur in *Corpore Receſſuum Imperii Moguntiæ* 1660. impreſſo ſub *R. I.* de Anno 1645. illique inſerto *Inſtrumento Pacis Cæſareo-Svecico* Art. 5. §. 49. ex quo inpoſterum, in gratiam eorum, quibus id ad manus eſt,

eſt, textus ad hanc materiam ſpectantes, ſemper allegabimus. Utinam verò cum ſummis paciſcentibus idem ſentirent omnes *Romano-Catholici*, nec ſcriptis publicis identidem *Transactionem Paſſavienſem*, *Pacem Religioſam*, & ipſum *Inſtrumentum Pacis Monaſterio-Oſnabrugenſe*, tanquam *injuſta*, *à non competente Legislatore lata*, *nec non per neceſſitatem*, *ad evitandum majus malum expreſſa*, traducerent, & novo bello ſacro claſſicum canerent, quod poſt alios etiam ante paucos annos *Autor Ephemeridum de ortu & interitu Lutherani Evangelii* ſub annis 1552. & 1555. & paſſim in iſto libello, inſtar *Erynnis* alicujus, egit, & ipſe *Autor* noſter, quicquid etiam contra factum proprium hîc proteſtetur, interpretationibus ſuis ſiniſtris, pacem *Proteſtantibus* conceſſam vanam atque inutilem reddere, ipſisq; ſolum corticem, ſuis reſervato nucleo, relinquere, niſus eſt.

Textus Autoris.

Videamus ergò, quid in Religionis, ejusq; Exercitii materia diſponat. Sit

Quæſtio I.

Quare de Religionis materia in Inſtrumento Pacis diſpoſitum ſit? Reſp. *Quia gravamina inter Imperii Status, illius cauſa orta, præterito bello magnam cauſam, & occaſionem dederunt. Art.5. in princ.*a.

A. SI proximiorem *orti in Imperio belli cauſam*, eamq; aliam, quàm *Religionem* adduxeris, non contendam tecum, abyſſus enim abyſſum invocat, & ſcio, ab omnibus ferè aliter & aliter ſentiri; quod non eſt hujus

hujus loci, diſcutere. Quicquid ſit, patet hinc, non tantùm Eccleſiaſticæ, ſed & maximè *ſecularis eſſe poteſtatis*, ante omnia *de Religione, ejusq́ conventientibus*, ſive introducendæ, ſive retinendæ *mediis, cogitare*, cùm *Regio ſine Religione conſiſtere nequeat*, &, hâc minùs obſervatâ, nil niſi vitia & exinde gravamina ſuboriri neceſſe ſit.

Hoc tamen intelligas velim, *non igne & ferro, ſed moribus atque doctrinâ, perfici debere*, incongruum enim " mihi ſemper viſum eſt, eos, qui ex " Nobis, hoc eſt, *noſtrâ fortè culpâ, &* " *ſcandalo dato*, ab unitate veræ fidei " exciderunt, *illâ adhuc durante*, non " niſi inimicâ manu reducere velle, " contra mentem Chriſti, paſſim in " SS. litteris ſatis explicatam, quo me " refero.

Certe, ſi nemo religionem illam,

 quam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quam credit ſalvificam, & in quâ quis natus & educatus eſt, deſerere, & aliam ab illâ diverſam amplecti tenetur, niſi poſtquam & falſitas illius, & veritas hujus ipſi patefacta eſt (juxta unanimem omnium Theologorum ſententiam) *non video, ad quid terror? ad quid pœnæ? ad quid gladius?* non niſi contra *Hæreſiarchas formales* ſtringendus, quidquid debito rigoroſiores econtra ſentiant.

NOTÆ.

Secularis eſſe poteſtatis, ante omnia de Religione &c. cogitare.) Rectè omninò. Sine quo enim *tranquillitas Reip.* conſervari nequit, id ſubeſt directioni *ſecularis poteſtatis.* Atqui ſine *mediis religionis introducendæ & retinendæ tranquillitas Reip.* conſervari nequit. E. illa media ſubſunt directioni *ſecularis poteſtatis.*

Confirmant hoc exempla tum ſacræ tum profanæ hiſtoriarum omnium ſeculorum. Ex infinitis ſufficiant pau-

ca

ca. *Davidis* 2. *Sam.* 6. 7. junctis 1. *Paral.* 14. 16. 17. 18. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 30. *Salomonis* 1. *Reg.* 3. 5. 6. 7. 8. 9. junctis 2. *Paral.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Aſſa* 1. *Reg.* 15. v. 12. 13. 14. juncto 2. *Paral.* 14. *v.* 2--5. *Joſaphati* 1. *Reg.* 22. *v.* 43. 44. juncto 2. *Paral.* 17. *v.* 3-9. & *c.* 19. *v.* 8--11. *Jehu* 2. *Reg.* 10. *v.* 18--28. *Joaſi* 2. *Reg.* 11. *v.* 17-19. & *c.* 12. *v.* 2--16. junctis 2. *Paral.* 23. *v.* 16--20. & *c.* 24. *v.* 2-14. *Hiskiæ* 2. *Reg.* 18. *v.* 4-6. juncto 2. *Paral.* 29. 30. 31. *Joſiæ* 2. *Reg.* 22. 23. *v.* 1--25. junctis 2. *Paral.* 34. & 35.

Quod *Imperatores* Chriſtianæ Religioni addicti à *Conſtantino M.* uſque ad *Juſtinianum M.* non minus, atque olim *Reges Iſraëlitici*, *jura circa ſacra*, ſine ullâ vel *Romanorum Pontificum*, vel *Patriarcharum Conſtantinopolitanorum*, aliorumve *Epiſcoporum*, contradictione, imò iis conſulentibus & applaudentibus, liberrimè exercuerint, non dubitare nos ſinunt *Conſtitutiones* & *Leges* variæ, *Corpori juris* noſtri *Civilis* inſertæ, & quidem *de religione ipsâ* ejusque

introducendæ & retinendæ mediis, in *Tit.* 1 6. 7. 8. 9. & 11 libri primi *Codicis* in *Novellis* verò 58. 67. 131. 132. 133. & 137. De *perſonarum Eccleſiaſticarum ſubjectione & privilegiis*, perſonis, intuitu *religionis* ipſius, aut reſpectu *officii Eccleſiaſtici*, ab *Imperatoribus Chriſtianis* indultis, in *Tit.* 3. 4. 5. & 10. dicti libri primi *Codicis* & *Nov.* 3. 5. 6. 11. 16. 45. 56. 57. 76. 79. 83. 109. 123. 144. & 149. De *rebus* autem *ſacris*, quatenus eæ, ex autoritate & conceſſione *Magiſtratus Politici*, *oneribus publicis Reip.* magis minusve obſtrictæ aut exemtæ fuerint, in *Tit.* 2. 12. & 13. libri primi *Codicis* & in *Nov.* 7. 9. 37. 46. 55. 65. & 111. Ne de *indictione, directione* & *exſecutione* omnium usque ad illa tempora celebratorum *Conciliorum Oecumenicorum* (vid. l. 3. §. 3. l. 4. & l. 7. §. 4. & 5. C. *de ſumma Trinitate* l. 8. pr. & §. 5. C. de *Hæreticis* & *Manichæis*. c. *habeo librum* 6. c. *quoniam ſancta* 7. c. *ſexta Synodus* 9 c. *prima autem* 10. Diſt. 16. c. *futuram* 15. XII. Quæſt. 1.) nec non *particularium* (vid.

Nov.

Nov. 123. c. 10.) ab *Imperatoribus Chriſtianis* dependente, eorumque jure *eligendi & confirmandi Romanos Pontifices*, ab his ſponte agnito & approbato (in c. *Agatho* 21. c. *Hadrianus* 22. & c. in *Synodo* 23. *Diſt.* 63.) jam multa afferam.

Et quamvis ſucceſſu temporis *Pontifices Romani Imperatoribus, Regibus* aliisve *Imperantibus Chriſtianis*, paulatim jura iſta vi partim, partim verò clam & precariò, nec non per frivolas dictorum *Scripturæ S.* detorſiones, interdum etiam per fraudes, mendacia aperta, confictas donationes, aliasque technas (vid. c. *cum Hadrianus* 29 c. *ego Ludovicus* 30. c. *conſtitutio primi Henrici* 32. c. *tibi Domino Johanni* 33. Diſt. 63. c. *bene quidem* 1. c. *ubinam legiſtis* 4. c. *ſatis evidenter oſtenditur* 7 c. *duo ſunt* 10. & c. *Conſtantinus Imperator* 14. Diſt. XCVI. c. *ſignificaſti* 4. & c. *venerabilem* 34 x *de Elect. & Electi poteſtate* c. *fundamenta militantis Eccleſiæ* 17. *de Elect. & Electi poteſt.* in 6to. c. *ſi fratrum* unic. *ne ſede vacante aliqvid*

innovetur. Extravag. Johan. 22. c. *ſuper gentes* unic. de *Conſvetud.* & c. *unam ſanctam.* de *Majorit.* & *Obed.* Extravag. comm.) eripuerint, poſtquam tamen, *reformatione Lutheri* exortâ, etiam hoſtibus & perſecutoribus ejus oculi aperti ſunt, *Magiſtratus Politici* hinc inde jura circa ſacra ipſis competentia, & hactenus ab *Eccleſiaſticis* ſolis uſurpata, ſibi iterum vindicarunt.

Ex Actis noſtri *Imperii* ſuperioris & labentis ſeculorum luculenter hoc demonſtrant ab *Imperatore* & *Statibus* ſuper exortis *controverſiis Religionis* inſtituta varia colloquia, & initæ conventiones diverſæ per *transactionem Paſſavienſem*, *Pacem Religionis* & *Pacem Monaſterio-Oſnabrugenſem*, necquicquã ringentibus *Pontificibus*, atque ſacram poteſtatem, à *Deo* ipſis mandatam, à *Principibus ſecularibus* invadi quiritantibus.

Et quidem (1.) *Imperator Carolus V.* in *R. I. Spirenſi* de Anno 1544. §. Erſtlich

der

der ſtreitigen Religion halber 77. *in fine* dicit, *ſe ratione officii Imperatorii ſibi incumbentis, obſtrictum eſſe, controverſias ſuper religione exortas, per remedia Chriſtiana ad Concordiam redigendi*, & in *R. I. Noribergenſi* de Anno 1524. §. Und iſt darauff/ꝛc. 29. ut & in *R. I. Auguſtano* de an. 1525. §. Und nachdem etwan ꝛc. 1. Omnibus *Imperii Statibus*, tam *Secularibus* quàm *Eccleſiaſticis*, injungitur, *ut verbum divinum in ditionibus ſuis, in puro & ſano Univerſalis* (adeoq; non ſolius Romanæ particularis) *Eccleſiæ ſenſu, ſine ſeditione & ſcandalo, docere curent*. In textu priori etiam *gravamina ſecularium Principum & Statuum nationis Germanicæ contra ſedem Romanam, & Eccleſiaſticos, Deputatis Electorum, Principum & Statuum diſcutienda, poſtea Imperatori aut ejus Vices gerenti, ad ulteriorem deliberationem & concluſionem referenda committuntur.*

(2.) Ex *Pacis Religionis* in *R. I. Auguſtano* de anno 1555. §. Und ſol alles ꝛc. 28. & *Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ* Art. 5. §. 1.

 (ibi:

(ibi: *Non attentâ cujusvis ſ. Eccleſiaſtici ſeu Politici, intra vel extra Imperium quocunq; tempore interpoſitâ contradictione vel proteſtatione, quæ omnes inanes & nihili vigore horum declarantur, &c.*) pateſcit, quod *Imperator & Status Romano Catholici*, perinde ac *Proteſtantes*, publicè declaraverint, ſe *poteſtatem* nec *ſecularem* nec *Eccleſiaſticam*, *intra* vel *extra Imperium*, agnoſcere, quæ actus ſuos circa *negotia religionis* irritos reddere posſit, adeoq; tam *Pontificis Romani*, quam *Conciliorum Univerſaliũ & particularium* ſtatuta aut ſtatuenda, quæ *Paci*, inter *Status Imperii Germanici*, *religione diſſidentes*, usque ad amicabilem compoſitionem, aut, eâ non eveniente, in perpetuum ſancitæ, ullo modo adverſantur, abrogaſſe.

(3.) *Imperator & Status Imperii* unanimi conſenſu in *Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ* Art. 17. §. contra hanc transactionem 3. in ſpecie *omnia Privilegia, Indulta, Edicta, Commiſſiones, Inhibitiones,*

Man-

Mandata, Decreta, Reſcripta, Litiſpendentias, Sententias, Res judicatas, Capitulationes, Inveſtituras, Tranſactiones, Juramenta, Renunciationes, Pacta, Edictum Anni 1629. Tranſactionem Pragenſem, Concordata cum Pontificib9, Statuta Interimiſtica Anni 1548. aut alia Pontificia ſ. Eccleſiaſtica Decreta, Diſpenſationes, Abſolutiones, à Cæſare ſolo, vel cum conſenſu *ſolorum Statuum Romano-Catholicorum*, in præjudicium *Proteſtantium*, conceſſa, lata aut decreta, irrita declarant, adeoq; illa contra hos ad effectum qualemcunque impoſterum allegari non poſſunt.

Notanter etiam (4.) *Imperator Carolus V.* in *R. I. Noribergenſi* de An. 1524. §. Als auch vielgedachte unſere Inſtruction 28. *R. I. Auguſtano* de an. 1530. §. Und dieweil in vielen Jahren 61. it. *R. I. Ratisbonenſi* de anno 1532. ſub rubr: Concilium betreffend §. 5. & *R. I. Spirenſi* de anno 1544. §. Dieweil aber zu ſolcher Chriſtlicher Vergleichung ꝛc. & ſeqq. nec non Imperator *Ferdinandꝰ I.* in *R. I. Ratisbonenſi* de A. 1557. à §. 9 ad 40.

jura veterum Imperatorum, *Conſtantini M. Theodoſiorum*, *Valentiniani & Martiani*, *Juſtiniani M.* horumque Succeſſorum, circa *Concilia*, quadantenus in uſum revocarunt, ſibique jus ac libertatem aſſeruerunt, poſtquam *Papa Romanus Indictionem Concilii Chriſtiani, liberi & univerſalis*, diu remorat9 eſſet, tandem autem, eo vix inchoato, libertatem ejusdem opprimere, illudque ſibi ſubjicere, conaretur, de diſſidiis religionis in *Conventibus Imperii*, ſub *præſidio Imperatoris*, tractandi, illaque per colloquia placida & amicabilia tam *Laicorum* quâm *Clericorum* ſopiendi.

(5) *Imperatores*, *Maximilianus I. & Carolus V.* literis ſalvi conductus *Luthero* datis, contra inſidias Legatorum Pontificiorum, *Cardinalis Cajetani*, in *Comitiis Auguſtanis* Anno 1518. & *Aleandri in Comitiis Wormatienſibus* anno 1521. & idem *Carolus V. Conſtitutione* ſuâ *Interimiſticâ Auguſtæ Vindelicorum* 15. Maji 1548. promulgatâ, atque in *Corpus Receſ-*

ceſſuum Imperii, ad perpetuam rei geſtæ memoriam relatâ, (licet ea ab *utriusq; religionis Statibus*, propter conciliationem religionum irreconciliabilium in eâ tentatam, rejecta ſit) *Orbi* toti *Chriſtiano* teſtatum fecerunt, ipſos ſibi jus tribuiſſe, *Monachum* & *Clericum*, *Papæ rebellem*, & ab eo diris devotum, etiam contra ipſum ejusque legatos, protegendi, quin & inconſulto, imò reclamante *Pontifice Romano*, de *Religione reformandâ* ſtatuendi.

Præter *Acta Imperii* hactenus allegata videantur etiam *Hiſtorici utriusq; religionis*, *Sleidanus*, *Thuanus*, *Cochlæus*, *Hortlederus*, *Lehmannus*, *Surius*, *Ulenbergius*, *Maſenius*, *Sarpius*, *Pallavicinus*, *Maimburgius*, *Seckendorffius &c.* & alii.

Non igne & ferro, ſed moribus atque doctrinâ perfici debere.) Probatur hoc (1.) exemplo & mandato *Salvatoris* noſtri, qui invitos & repugnantes ad Eccleſiam ſuam in hac vitâ nec igne nec ferro nec aliâ vi cogi voluit *Lucæ* 10. v. 10. 11.

Sed

Sed pœnam repudiatæ vocationis in hoc ſeculo ad *judicium* usque *extremum* ſibi ipſi reſervavit *Matth.* 13. v. 30. (2.) quod talis coactio repugnat non tantùm libertati voluntatis humanæ, externâ vi cogi neſciæ, ſed & fini, qui coactione iſtâ intenditur, *converſioni* nempe *hominum*. Quos enim *religionem*, quam errantes pro falsâ habent, pro verâ profiteri cogimus, non convertimus, ſed ex errantibus *hypocritas* (*regno Dei* indignos & *ex ore divino exſpuendos. Apocal.* 3. *v.* 16.) facimus. Quos verò ferro & igne è medio tollimus, his occaſionem, ſe aliquando convertendi, adimimus. Hinc *Salvator* noſter, cum *Jacobus* & *Johannes* ignem de cœlo in *Samaritanos*, Chriſtum recipere nolentes, depoſcerent, eos his verbis increpat: *Neſcitis, cujus Spiritus eſtis. Filius hominis non venit, animas perdere, ſed ſalvare. Lucæ* 9. *v.* 55. 56.

Noſtra forte culpâ & ſcandalo dato.) Ingenua & laude digniſſima confeſſio

hæc

hæc eſt culpæ & ſcandali, à *Romanâ Eccleſiâ* datorum, ex quibus enatum *Schiſma Eccleſiaſticum*. Idem agnovit etiam *Papa Adrianus VI*, atque in publico *Imperii Conventu Noribergenſi* anno 1523. per Nuncium ſuum conteſtatus eſt (apud *Sleidanum de ſtatu religionis & Reip.* ſub initium libri 4. *Cochlæum de Actis & ſcriptis Lutheri* ſub anno 1523, & *Hortlederum de cauſis belli Germanici*, Tom. 1. lib. 1. c. 1.) cui *Fridericus Palatinus*, tum *Vicarius Imperatoris*, nec non *Electores, Principes & Status Imperii* inter alia reſponderunt: *Quod queratur, non eſſe de Luthero ſumtam pœnam ex formulâ Decreti Cæſaris, id non levi de causâ prætermiſſum: Omnes enim graviſſimè conqueri de Curiâ Romanâ, & plerosque omnes Lutheri concionibus atque libris ita nunc eſſe eruditos, ut, ſi Decretum illud adverſus ipſum valere debeat, maxima ſit inde dubio procul oritura ſeditio, & fore, ut plurimi ſic interpretentur, quaſi eò fiat, ut oppreſsâ veritate & extinctâ Evangelii luce,*

mani-

manifeſta vitia, quæ tolerari diutius aut diſſimulari non poſſunt, defendantur, quæ quidem perſvaſio certiſſimam ſit excitatura populi contra Magiſtratum rebellionem. Negari enim non poſſe, ac ipſum quoque liberaliter fateri, multa perperam ac vitioſè Romæ fieri, cum maximo reliquarum gentium ac provinciarum incommodo, nec abſque detrimento religionis. Quod ergò non diſſimulet, neque morbos excuſet Romana Curia, quod emendationem quoque promittat, & omnibus ex æquo jus redditurum eſſe confirmet, ſummam id laudationem mereri, præſertim ſi re ipsâ, quod verbis & oratione pollicetur, præſtet. Quod ut faciat, orare ſe plurimum, alioquin enim nullam firmam aut diuturnam poſſe conſtitui pacem. Et quamvis *Adriani Pontificis* ſimplicitatem poſtea alii arguerint, à plurimis tamen harum rerum *Scriptoribus*, etiam Pontificiæ partis, eadem confeſſio perinde, ut ab *Autore* noſtro hîc factum, repetita eſt. Cum ergò *Proteſtantes*, ſcandalorum datorum emen-

mendationem urgentes, per *anathemata Pontificum Romanorum & Concilii Tridentini*, omnem omninò reformationem in doctrina recuſantium, à communione *Eccleſiæ Romanæ* ejecti & excluſi fuerint, culpa *Schiſmatis* penes eos ſolos reſidet, qui, utcunque rectiùs edocti, ad errores ſuos obduruerunt.

Non video, ad quid terror? ad quid pœna? ad quid gladius?) non ſanè alium effectum, quàm evacuationem regionum ab incolis & commerciis, & hinc conſequentem diminutionem *ærarii publici*, atque ruinam *Status Politici*, afferentia, quod cum damno irreparabili experta ſunt *regna Hiſpaniæ* & noviſſime *Galliæ*, ut de aliis jam taceam. *Ut ſummæ clementiæ eſt* (inquit *Conſtantinus M. Imperator* apud *Euſebium* in ejus vitâ lib. 1. c. 45.) *eorum vicem dolere* (qui ſc. in religione errant) *ſic hominibus, cum mente capti ſunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ eſt & inſcitiæ.*

Quamvis enim neque *prudentiæ civilis,*

vilis, neque *conſcientiæ Chriſtianæ* dictamini & regulis conveniat, in regione, in quâ una ſaltem hactenus viguit religio, uni aut paucis ab eâ deficientibus, licentiam ſuis ritibus utendi facere, ne forte *ærarium publicum* detrimenti quid capiat, ſed potius tales ejiciendi & exilio multandi ſint, non quidem pœnæ loco, ſed in remedium, ne pars ſincera trahatur, hoc tamen non ſine debilitatione totius *Reip.* corporis, & mutilatione membrorum ejusdem principaliorum, vel etiam ſine violatione fidei publicæ, fieri poteſt, quando vel magna & potior civium pars religioni hactenus receptæ valedixit, aut ſubditi à longo tempore religioni diverſæ ab *Imperantium religione* aſſveti, & in eâ educati, eaque pactis atque privilegiis jamdudum ſtabilita eſt.

Non niſi contra Hæreſiarchas formales ſtringendus,) qui ſc. non ex errore intellectus, ſed pertinaciâ voluntatis, doctri-

doctrinam, Statum Politicum turbantem ac evertentem, defendunt, quales ſunt *Anabaptiſtæ* & alii, qui non niſi tali Magiſtratui, qui eandem cum ipſis doctrinã profitetur, obedientiam præſtare ſe obſtrictos credunt. An *Lojolitæ* his accenſendi ſint, judicent ii, quorũ intereſt, *Rempublic.* ab ejusmodi perpetuis propemodũ turbatoribus quietis publicæ ſartam tectam conſervari.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Religio? Rſ. *Eſt* (hìc) *Confesſio publica, exhibens DEO debitum cultum.* b.

B. VIdebatur annectenda Quæſtio hæc propter ſequentia, quibus lucem adferre poterit.

NOTÆ.

Religio eſt Confeſſio publica, exhibens Deo debitum cultum.) Si *Autor* noſter *religionem Romano-Catholicam* deſcribere voluiſ-

voluiſſet, quam ipſe ſolam pro verâ & orthodoxâ habet, & quidem in eo ſtatu, quo ea hodie iis locis, ubi vel ſola obtinet, vel aliis prævalet, exiſtit, annotatione noſtrâ ſuperſedere poſſemus. Sed, cum ipſi propoſitum ſit, *Religionem* in genere definire, definitio ab ipſo allata tota quanta claudicat. Poſſunt enim non tantùm ſinguli, ſed & myriades hominum veræ & puræ *religioni* addicti eſſe, cujus tamen *confeſſionem publicam*, metu vis externæ, interdum etiam ad longum tempus, edere non audent, qualia erant *ſex millia Iſraëlitarum* tempore *Achabi*, *quorum genua non erant incurvata ante Baal, & quorum ora non adoraverant eum*, 1. *Reg.* 19. v. 18. & *Eccleſia*, ſub ſchemate *mulieris à Deo in deſerto* (ubi ſcil. *confeſſionem publicam* edere non poterat) *alitur mille, ducentos & ſexaginta dies. Apocal.* 12, v. 6. *Autor* ipſe Quæſt. 18. cum *Inſtrumento Pacis* diſtingvit inter *exercitium religionis publicum & privatum*, & *devotio-*

tionem privatam. Secundùm definitionem verò *religionis* ab ipſo hîc allatam, illos, qui tantum duo poſteriora habent, ſive *Romano-Catholici* ſive *Proteſtantes* aut *Reformati* ſint, religionis expertes eſſe oporteret. Et cum non niſi *vera religio Deo debitum cultum exhibeat*, reliquæ omnes *religionum* numero excludendæ forent, ſi definitio *Dn. Autoris* rectè ſe haberet, cum tamen ipſe *Lutheranam* & *Reformatam Religionum* nomine dignetur, utut ægrè conceſſurus ſit, per eas Deo *debitum* cultum exhiberi. Aptiùs *Lipſius* in *Pol.* 2. §. 1. *Pietatem in rectum de Deo ſenſum & cultum* (h.e. Religionem) *diſpeſcit*, & hunc cap. ſeq. 3. §. 1. definit *cogniti Numinis Venerationem, certis legibus ceremoniisque devinctam.*

III.

An inter ipſos Imperii Status ſit Religionis diverſitas?

Reſp.

Reſp. *Quod ſic, & hoc proh dolor! per ſe patet.* C.

C. Dicis, hoc eſſe deplorandum! & rectè, ſed cur? quia exinde animorum diverſitas. Quomodo enim quis Dei metuens amansque, illi firmâ ſocietate conjungi poterit, quem ipſum, quod colimus, Numen, haud decenter colere credit, ac ſententiâ animi, tantâ in re, quanta eſt Deus, ſalusque noſtra, à ſe diſſentire intelligit? quomodo in Religionum diverſitate pax ſtabilis? quomodo unitatis effectus prudenter ſperandi? agnoverunt hoc ipſum pientiſſimi anteceſſores noſtri; & quidem gementer, quoties in publicis conventibus de religione contendere neceſſe fuit. vid. *Receſſus Imp.* in paragraphis religionis punctum concernentibus, per totum.

Mala

NOTÆ.

Mala ex diverſitate religionum in Remp. redundantia, à Dn. *Autore* hic enarrata, proh dolor! in aprico ſunt, quibus jamtum per *Pacificationem Religioſam* atq; per *Inſtrumentum Pacis Monaſterio-Oſnabrugenſe* Art. 5. §. 1. tandem obex poſitus, ut ſcil. *uſque ad amicabilem controverſiarum in religione compoſitionem, Pax Politica inter Status religione diſſidentes colatur*, & religio trium partium paciſcentium cujuslibet conſcientiæ libera relinquatur. Quib9 veſtigiis majorum ſi poſteri inſiſtant, de inſtabilitate iſtius *Pacis* queri opus non habebunt. Si verò *unitatem religionis* per remedia violenta introducere denuò conabuntur, ſcopum ſuum, ut ſupra ad *Quæſt.* 1. monitum, non tantùm non attingent, ſed & ſeipſos, cum nave Reipubl., naufragii periculo objicient. Meliora autem de iis ſperare nos jubet amor in Rempubl. utrinq; communis, veterumq; malorum ſalubris recordatio.

IV.

Quotuplex ſit ea inter Imperii Status Religionis diverſitas? Reſpond. *hodie triplex; Sunt enim Imperii Statuũ alii* Catholici, *alii* Confeſſioni Auguſtanę addicti (ſeu Proteſtantes) *dicuntur, alii* Reformati *vocantur*, Art. 7. verſ. unanimi. d.

D. MEmini, hic ſubſtitiſſe quosdam, dum in Inſtrumento Pacis legebant nomen hoc (*Catholici*) & quæſiviſſe, quinam hic *Catholicorum* nomine ſubintelligantur? Reſponſum eſt eis; Eosdem intelligi, qui in

Trans-

Transactione Paſſavienſi, qui in *Pace Religionis*, qui in aliis omnibus *Imperii Conſtitutionibus*, ſub verbis, die Stände der alten Religion / denique, qui aliàs, omnium Chriſtianorum conſenſu, ſub nomine *Catholicorum* intelliguntur, *Romanos ſcil.* Sed hoc reſponſo non ſatisfacti replicabant; Ergò publicâ S. R. I. Confeſſione, Statuumque affirmatione, Romanorum religio ſola eſt *Catholica*? *Univerſalis* ſola? Ergò verum eſt dicere, *Romanos* eſſe *Catholicos*? Ulterius cum Doctiſſimo *Caramuele* ita ſubſumentes.

Doctrina, quæ Catholica, & Univerſalis, tenenda eſt.

Sed, (ex Inſtrumento pacis, aliisq; Receſſibus Imperii citatis) *nulla aſſertio Univerſalior, & magis Catholica eſt, quàm hæc; Romani ſunt Catholici.*

Ergò hæc aſſertio ab omni Chriſtiano te nenda eſt.

Sed: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem*, hoc eſt, *ut ſit Catholicus.*

Ergo ante omnia *opus eſt, ut, qui vult ſalvus eſſe, teneat fidem Romanam.*

Veritatem hujus præ ſe fert ipſa „Auguſtana Confeſſio, dum ait: *To-„tam diſſenſionem eſſe de paucis quibus-„dam abuſibus, qui ſine certâ autoritate „in Eccleſiam irrepſerint, cæterum Eccle-„ſias ſuas in nullo fidei articulo diſſen-„tire ab Eccleſia Catholica, ſive Roma-„na, &c.* Ubi *Catholicum*, & *Roma-„num* promiſcuè ſumit. Et meritò; „nullum enim, tunc temporis, Pro-„teſtantibus negotium, aut Contro-„verſia cum *primitiva* illa *Apoſtolo-„rum Eccleſia Catholica* (utpote nullo „adhuc abuſu vitiata) ſed ſolummo-

do

„do cum *Eccleſia* tunc exiſtente *Ro-*
„*mana Catholica* fuit. vid. Art. 21. dict.
Confeſs. Anno 1540. Witt. impreſſæ.

Mira res! loquor cum D. Au-
„guſtino: *Cum omnes Proteſtantes ſe*
„*ſaltem Apoſtolico-Catholicos dici velint,*
„*quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad*
„*Catholicam conveniatur, nullus eorum*
„*vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat*
oſtendere. vid. Contra Ep. Man. c. 4.

Sed, quia hæc & ſimila ad Controverſiarum materiam, non hùc, ſpectant,

Ad *alterum Imperii Statum* redeo, cumque ex Imper. *Comitiis Spirenſibus* de Anno 1529. (ubi *Proteſtantis* nomen meruit) magis, quam ex *Aug. Confeſs.* notum eſſe, dico. Diſputant enim, *quis eidem Confeſſioni verè addictus etiamnum hodie dici mereatur?* Dubium hoc auget, quod perpauci

Proteſtantium hodie reperiantur, qui, de hâc ſuâ Confeſſione interrogati, illam unquam legiſſe reſpondere poſſunt. Imò, qui ex illis doctiores audiunt, inter *Confeſſionem* " *Auguſtanam Invariatam*, & *Variatam* " ingenuè diſtingvunt, illi, non huic, " ſubſcribendo. Cujus litis, meo " quidem judicio, *Originale Confesſionis* Anno 1530. Imperatori Carolo V. Auguſtæ in Comitiis exhibitum, in Imperii Archivo ſervatum, & cum publicis Proteſtantium Confeſſionibus, & doctrinis modernis collatum, brevem deciſionem dare poterit. Sed quid, ſi *variatam Confeſſionem* Auguſtanam quis profiteatur publicè ac rotundè? an talis cum aliis primordialis ac *invariatæ Confesſioni* addictis, pari Jure gaudere debeat? Reſp. Quæſtionem hanc eſſe altioris indaginis

ginis, non tamen de lanâ caprinâ. Rationes dubitandi cuilibet viro prudenti, in actibus publicis verſato, facilè occurrent.

Tertiam (*Reformatorum*) *Claſſem* extra ſupra cit. Art. 7. verſ. *Unanimi* non noviſſem: Nullam enim S. R. Imperio ab iis Confeſſionem aliquam oblatam ſcio, ex quâ dignoſci potuiſſent, quamvis ſub Pacis, Anno 1555. ſancitæ, umbrâ ſatis diu tutoque latuerint. Sed quamnam conniventiæ hujus gratiam retulerunt Catholicis, ut & Proteſtantibus ipſis? Reſp. eandem, quam Catholicis adhuc hodiè referunt Proteſtantes, quod ad plurima hactenus intra, & extra eorum Eccleſias emanata, in *Auguſtanâ Confeſſione* autem irreperibilia, hactenus connivêre. Quidquid ſit, ſufficit, *Reformatos in jura & beneficia Im-*

perii, æque ac Proteſtantes, nunc receptos eſſe, ut loc. cit. expreſsè habetur.

Si quæris, Quomodo horum, dicto Anno 1555. à Catholicis in conſortium pacis & tranquillitatis publicæ receptorum, Statutum doctrina, non interruptâ ſerie, ab Apoſtolis hucusque derivata dici; Quomodo Deus tribus diverſis, iisque contrariis prorſus Religionibus, & à quâlibet tamen parte (juxta Quæſt. 2.) debitè coli poſſit? Reſp. rurſus: Non eſſe controverſias hic tractandas, tranſeo ad Quæſtionem

NOTÆ.

Die Stånde der alten Religion) *Autori* noſtro reſpondit Dn. *Strauchius* in Specimine *Inſtit. jur. publ.* lib. 1. tit. 5. §. 4. *Hæc appellatio* der alten Religion / *quæ habetur in Pace Religioſa:* Alsdeann auch den Stånden der alten Riligion ꝛc. *veritati non facit præjudicium, & dicitur antiquior, ratione*

tione actus repurgatorii, ſecundùm quem prior eſt & antiquior. Sic *Calendarium* noſtrum dicitur *vetus*, in reſpectu ſcil. ad *Calendarium Pontificiorum novum*, quod eſt reformatum, &, ex ipſorum mente, à mendis & vitiis *Calendarii veteris* repurgatum. Ita, qui *pœnitentiam agit*, & deponit vitia, quibus hactenus indulſerat, dicitur *exuere* VETEREM, *& induere* NOVUM *hominem, Epheſ.* 4. v. 22. & 24. *Coloſſ.* 3. v, 9. 10. Sic quoque *Paulus Rom.* 7. v. 6. dicit, *Nos ſolutos eſſe à lege mortis, in quâ detinebamur, ita, ut ſerviamus in* NOVITATE *Spiritus, & non in* VETUSTATE *literæ.* Hoc ſenſu *Proteſtantes religionem Romanam* pro *Veteri*, & ſuam pro *Novâ* haud inviti agnoſcunt.

Quicunque vult ſalvus eſſe, opus eſt, ut teneat Catholicam fidem,) A verbis imbecillum admodum ad rem ipſam argumentum ſumitur. Non jam varias vocabuli *Catholici* ſignificationes afferemus & examinabimus, ſed eam, quam ii volunt, qui nomen hoc

ſibi, tanquam proprium, vindicant, relinquemus, ut ſc. idem ac: *Orthodoxus*: valeat. Si jam is, qui ſe *orthodoxum* jactitat, talis etiam revera eſt, *Turcæ* quoque erunt *orthodoxi*: Hoc ipſum enim voce *Muſulmannorum*, (*Servatorum*; *Fidelium*) quam ſibi appropriare & omnibus aliis, diverſum ab ipſis in *Religione* ſentientibus, denegare ſolent, indigitare volunt. Non ſanè alii, quàm qui *Edicta Imperatoria*, atque *Conſtitutiones & Receſſus Imperii* in formam externam, ratione Styli, redegerunt, h. e. *Imperatorum* & *Electorum Moguntinorum* Conſiliarii, *Romanæ Religioni*, *Veteris*, hujusque aſſeclis; *Catholicorum*; nomen tribuerunt|, quod *Proteſtantes* hactenus, pacis obtinendæ & conſervandæ causâ, fieri quidem permiſerunt, quoniam res in meris nominibus ſubſiſtit, in quibus (ſi præſertim varios ſignificatus habent, quorum quilibet eum, qui ipſi placet, eligere poteſt) faciles eſſe poſſunt. Scripta verò publica

blica *Proteſtantium* ſatis teſtantur, eos *Pontificios* pro *Catholicis*, h. e. orthodoxis, eorumque *religionem* pro *veteri* nec velle nec poſſe agnoſcere, cum à puritate *Catholicæ religionis veteris* in multis declinaverint, iſtiusque dogmatibus propemodum infinita ſuperaddiderint, quæ in *Patrum Catholicorum* Scriptis fruſtra quæſiveris.

Quamvis enim veſtigia quorundam errorum *Eccleſiæ Romanæ* etiam apud *Patres* deprehendantur, ſimplices tamen & incautæ eorum locutiones in dogmatibus, tum non controverſis, aut etiam interdum rhetoricæ declamationes, erroribus manifeſtis, in quos illæ, tractu temporis, degenerarunt, *Catholicæ veritatis* & *vetuſtatis genuinæ* autoritatem conciliare nequeunt.

Eſt quidem argumentandi, vel potius argutandi, hoc artificium ſatis antiqvum, hoc ipſo tamen pro Apodictico nõ habendum. Eo enim quondam *Phariſæos & Scribas* Judæorum con-

tra *Chriſtum*, ejusque doctrinam, pari aſtutiâ uſos eſſe, teſtem habemus irrefragibilem *Scripturam Sacram. Pſeudohermeniam* enim ſuam *Decalogi vetuſtate* defendebant *Matth.* 5. v. 21. 27. 31. 33. 38. & 43. *doctrinam Chriſti* econtra *novitatis* arguebant *Marci* 1. v. 27. ſe *diſcipulos Moſis* eſſe jactabant, & *diſcipulos Chriſti, tanquam novi Doctoris*, aſpernabantur. *Joh.* 9. v. 28. nec *Chriſtus* hanc gloriam, quod *ſederent in Cathedrâ Moſis*, ipſis invidebat. *Matth.* 23. v. 2. quamvis *à fermento eorum doctrinæ cavere* ſuos vellet. *Matth.* 16. v. 11. 12. *Atheniensibus* quoque *doctrina Pauli nova* videbatur, præ ſuâ, quam *veterem* credebant, quia à majoribus ſuis per manus quaſi traditam acceperant. *Actor.* 17. v. 19. Atque, *Athenienſium* exemplo, etiam ſequioris ævi *Gentiles* ad *antiquitatem* provocaſſe, conſtat ex *Minutio Felice, Lactantio, Arnobio* & *Prudentio*.

Auguſtana Confeſſio Catholicum & Romanum promiſcuè ſumit) Auguſtana Con-

feſſio

feſſio verba: *Catholici* : & *Romani* : neutiquam promiſcuè ſumit, ſed per disjunctivam particulam, *vel:* in verbis: *quod diſcrepet à Scripturis, vel ab Eccleſia Catholicâ, vel ab Eccleſiâ Romanâ* : expreſsè invicem diſtingvit, nec etiam quamlibet *Eccleſiam Romanam*, ſed *quatenus ex Scriptoribus*, (hoc eſt *ſcriptis Patrum*, prout authentica Germanica exemplaria illud exprimunt) *nota eſt*, intelligit.

Nullum enim tunc temporis Proteſtantibus negotium cum primitivâ illâ Apoſtolorum Eccleſiâ Catholicâ) Rectè, & hoc ipſum in loco allegato expreſsè dicunt *Proteſtantes*, & apud *Ulenbergium* in *vitâ Lutheri* c. 21. §. 5. *Status Proteſtantes* in *Comitiis Auguſtanis* 1530. in quibus *Confeſſio Auguſtana* exhibita, expreſsè ſe declarant, *nec ab Imperii ſe, nec ab Orbis Chriſtiani conſenſu deſciviſſe, cum id imprimis ſtudio habeant, ut omnia Chriſtianæ religionis dogmata propugnentur, & ad verum intellectum SS. Apoſtolorum*

rum & Patrum Eccleſiæ revocentur. An verò inde ſequitur, quod *abuſus* illos, quos aliquot Articulis ſequentibus latè recenſent & refutant, & de quibus expreſsè dicunt, quod *non potuerint bonâ conſcientiâ probari*, pro *Catholicis* habeant? Dn. *Autor* hoc certè non aſſeret. Fruſtra ergò modeſtia *Proteſtantium*, contra clara ipſorum verba & mentem, in eorum odium torquetur. Parum candidè etiam *Autoribus Auguſtanæ Confeſſionis* tribui, quaſi ſtatuerint, diſſenſum à *Romanâ Eccleſiâ* ſui temporis non eſſe in ullo *Articulo fidei*, ſed in *abuſibus* tantùm, inter alia patet ex *Apologia A. C.* in Articulo *de Eccleſiâ*, ibi: *Pleraq; iſtorum, quæ adverſarii noſtri defendunt, fidem evertunt, ut, quòd damnant Articulum de Remiſſione peccatorum.* Sanè *Cæſar* & *Status Romano-Catholici* in *Comitiis Auguſtanis* Anni 1530. *Confeſſionem Proteſtantium* in ſenſu longè diverſo ab illo, quem Dn. *Autor* ipſi tribuit, acceperunt.

runt. Nam apud eundem *Ulenbergium* d. l c.22. §.3. *Cæſar*, per *Joachimum Brandenburgicum* Electorem, *Proteſtantibus* inter alia exprobrat: *Mirum Cæſari non injuriâ videri, quod quam ipſe Cæſar, tum Electores & Principes Catholici, à majoribus acceptam profiteantur Religionem, eam ipſi Proteſtantes* erroris, falſitatis & hæreſeos *inſimulent. Quod ſi talis illa ſit, negari non poſſe, quin Cæſaris, Electorum & Principum, adeoque ipſius Saxonis laudatisſimi Parentes ac majores in univerſum omnes, qui veram hanc, orthodoxam, & in Dei verbo fundatam religionem profeſſi ſunt, eamque ad poſteros propagarunt, pro hæreticis habendi veniant, Quod cum abſurdum ſit & impium, Cæſarem concedere nullo modo poſſe, ut Electoris & ſociorum nova fidei confeſſio in contumeliam avitæ religionis Evangelicæ doctrinæ fundamentis niti dicatur.*

Loquor cum Auguſtino) Hoc *Auguſtini* dictum compenſamus alio ejusdem Patris dicto libr. *contra Ep. Fund.* c 4. *Omnis*

Omnis hæreſis vult videri & dici Catholica Eccleſia.

Ubi Proteſtantis nomen meruit) vid. *Sleidanus de Statu Relig. & Reip.* lib. 6. circa finem.

Perpauci Proteſtantium hodie reperiantur, qui de hac ſuâ Confeſſione interrogati, illam unquam legiſſe reſpondere poſſunt) Quidnam intereſt *Autoris*, aut cujuslibet alterius ex *Romano-Catholicis*, utrum hi vel illi ex *Proteſtantibus*, *Auguſtanam Confeſſionem*, aut ejus tenorem, ex lectione propriâ, an ex auditu ab aliis, didicerint? Sufficit, iis fidei ſuæ fundamentorum rationem conſtare, undecunque etiam ea perceperint. Et quid attinet, talibus ſollicitare tranquillitatem publicam, & præbere ſuſpicionem animi pacem ægrè tolerantis? Neſcio tamen, an plures *Romano-Catholicorum* de lectione *Concilii Tridentini*, quàm *Proteſtantium*, de lectione *Confesſionis Auguſtanæ*, gloriari poſſint, præcipuè, cum eorum *Clerici*,

Laicis ſuis, adſtipulationem fidei alienæ, *Eccleſiæ* nempe, ad ſalutem ſufficientem eſſe, aſſerere non dubitent. Hoc certò ſcio, ab *Auguſtana Confeſſionis* lectione arceri neminem noſtrorum, imò illam, in certis *Principatibus*, quotannis ex *ſuggeſtibus Eccleſiaſticis* publicè populo prælegi. Quid? quod nec *SS. Bibliorum*, imò neque librorum quarumvis aliarum religionum lectio cuiquam *Proteſtantium* unquam interdicta fuerit: quam libertatem cur *Pontificius Clerus Laicis* ſuæ religionis ademerit, ratio ipſis optimè conſtabit.

Inter Confesſionem Auguſtanam invariatam & variatam ingenuè diſtingvunt) Lutheri doctrinam ſequentes nullam aliam, quam quæ *Electorum, Principum*, reliquorumque *Imperii Statuum Proteſtantium* autoritate & juſſu facta, communi conſenſu approbata, & in *Comitiis Auguſtanis* Anno 1530. *Imperatori Carolo V.* exhibita & publicè prælecta fuit, pro *Auguſtana Confesſione* agnoſcunt; quæ

quæ verò poſtmodum privato auſu correcta eſt, eam Correctori ſuo ejusque ſequacibus relinquunt. Hinc etiam iſti *Reformatos*, in *tractatibus Pacis Weſtphalicæ*, pro *ſociis ſuæ Confeſſionis* nullatenus agnoſcere, aut eo nomine *Inſtrumento Pacis* eos inſeri voluerunt. Notanter ergò in Art. 7. §. 1. poſitum eſt: *Unanimi quoque Cæſareæ Majeſtatis, omniumque ordinum Imperii, Conſenſu placuit, ut quicquid juris aut beneficii cum omnes aliæ Conſtitutiones, tum Pax Religionis, & publica hæc transactio, in eâque deciſio gravaminum, cæteris Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.* Quæ verba: *Inter illos*: non ad ſolos *Auguſtanæ Confeſſioni addictos*, ſed etiam ſimul ad *Catholicos Status* referenda ſunt. Vide Dn. *Pfannerum* in *hiſtoriâ* dictæ *Pacis Germano-Gallo-Sueciæ* lib. 5. §. 48. uſque 52. Lis autem de variatâ & invariatâ *Auguſtanâ Confeſſione* dudum ſopi-

ſopita eſt eodem illo remedio, quod hîc ſuppeditat Dn. *Autor.* Teſtantur enim *Elector & Principes* in Præfatione *libri Concordiæ*, quod exemplar verum Originale, tàm Germanicum quàm Latinum, *Auguſtanæ Confeſſionis*, in *Archivis Electoralibus Saxonicis* aſſervetur, quod cum Originali, *Imperatori V.* exhibito, per fide dignas perſonas magno ſtudio ſit collatum, quod etiam juſſu & autoritate *Sereniſſimi Johannis Georgii I. Electoris Saxoniæ* Anno 16[illegible] denuò recuſum eſt, & calumniæ *Foreri* alio-rumque *Lojolitarum* contra illud, duobus prolixis ſcriptis, ſub titulis: Nothwendige Vertheidigung des H. Röm. Reichs Evangeliſcher Chur-Fürſten und Stände Aug-Apffels: item: Nochmalige unvermeidliche und gründliche Haupt-Vertheidigung des &c. Aug-Apffels &c. à *Theologis Electoralibus Saxonicis*, diſcuſſæ ſunt.

An talis cum aliis primordiali ac invariatæ Confeſſioni addictis pari jure gaudere debeat?) Rationes hujus Quæſtio-

nis

nis Affirmativas & Negativas, vide latè apud dictum *Autorem Hiſtoriæ Pacis Weſtphalicæ* lib. 5. §. 37. & ſeqq. Quoniam verò Quæſtio iſta in d. Art. 7. §. 1. *Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Svecici* paulò ante à nobis & à Dn. *Autore* infra allegato, clarè & quidem affirmativè deciſa eſt, omnes olim motæ dubitandi rationes hodie ceſſant, prout in ſequentibus ipſemet fatetur.

Ad plurima hactenus intra & extra eorum Eccleſias emanata, in Auguſtanâ Confeſſione autem irreperibilia hactenus connivére) Aſſertionem hanc, quaſi *Proteſtantium* & *Reformatorum* religioni Pax tantùm quoad ea, quæ in A. C. continentur, ſit conceſſa, adeoque etiam illis, præter ea, nihil credere aut docere liceat, ab *Incentoribus belli Germanici* inteſtini; *Dillingenſibus*, in *Compoſitione Pacis*, ſive potius *Tubâ belli*, cap. 2. Quæſt. 13. §. 26. ex Vatiniano in *Proteſtantes* & *Reformatos* odio, allatam, à noſtratibus autem multoties refutatam, *Autor noſter*

ſter, poſt pacem tot curis & ſumtibus paciſcentium reſtauratam, renovare & reſuſcitare non debuiſſet, ſi *animum* verè *pacificum* voluiſſet oſtendere. Prima occaſio ſubdolæ ejusmodi interpretationis *Pacis religioſæ* inde ſumta eſt, quod *Doctores Romano Catholici*, quibus à *Cæſare* examen *Confesſionis Auguſtanæ* Anno 1530. à *Proteſtantibus* exhibitæ, commiſſum erat, apud *Ulenbergium* in *vitâ Lutheri* c. 21. §. 3. ſtâtim poſt ejus lectionem, objecerant, *quædam magni momenti dogmata in hoc ſcripto non attingi, quæ pridem libris in vulgus editis, ſummo conatu propugnarint.* Inter quæ etiam ab iis recenſetur dogma: *Quod Pontifex Romanus non ſit Chriſti vicarius, & caput Eccleſiæ militantis, ſed Anti-Chriſtus.* Quod cum *Cæſari* retuliſſent, ille per Deputatos ex *Proteſtantibus* quæri juſſit: *An omnia complecteretur ipſorum Confeſſio, quæ proponenda duxerint, an verò plures Articulos eidem velint adjungere.* Ad quod ipſi, deliberatione præ-

prævià, reſponderunt, *quod Concionatores nihil amplius* NB. *tunc quidem addendum cenſuerint.* Utraque ſcil. pars *tunc quidem* certam adhuc ſpem fovebat, conciliationem diſſidiorum, circa *Religionem* exortorum, in Comitiis iſtis futuram: odioſa ergò, quæ animos diſſentientium irritare potiùs, quàm conciliare potuiſſent, *Proteſtantes* in *Confesſione* ſuâ conſultò omiſerunt, certi, ſi articulis exhibitis *Pontificii* aſſentirentur, reliquos omiſſos ſuâ ſponte, & conſequentiâ neceſſariâ, in eundem conſenſum tractum iri. Sed neque tunc, neque alio quovis tempore, doctrinas reliquas, quas dudum publicè profeſſi erant, revocarunt, neque etiam poſtea *pacem religioſam* ſuper ſolis doctrinis *Auguſtanæ Confesſionis* concluſerunt. Haud multò poſt *Pacem Religioſam*, Anno 1555. concluſam, *Theologi Romano-Catholici* in Colloquio de Religione cum *Proteſtantibus Wormatiæ* Anno 1557. inſtituto, occaſione diſſen-

ſio-

ſionum quarundam, his cum *Sacramentariis*, *Oſiandriſtis*, *Majoriſtis*, *Adiaphoriſtis* & aliis intercedentium, veterem calumniam, ſed alio velatam tegmine, denuò in ſcenam produxerunt (quam deinde ipſorum poſteri toties, quoties *Pacem*, *Religioni Proteſtantium* conceſſam, infringere laborarunt, repetierunt) aſſerentes, apud eundem *Ulenbergium* in vitâ *Melanchthonis* c. 23. §. 2. *datam eſſe pacem Auguſtanæ Confesſioni Decreto publico. Id verò beneficium ad Sectas non pertinere ab hâc Confesſione alienas. Itaque mandatum eſſe Cæſaris, ut cum iis tantùm agatur de conciliandis dogmatibus, qui ſine fuco profiteantur doctrinam illam, cujus ſumma in Auguſtanis Comitiis Anno 1530. Carolo V. ſit oblata.* Verùm enim verò, cum ab eo tempore, quo per *Formulam Concordiæ* Anno 1580. editam, ab adverſariis objectæ diſſenſiones, quæ *Eccleſias Proteſtantium* tum temporis aliquamdiu diſtraxerant, dudum ſopitæ ſunt, prætextus harum calu-

calumniarum ceſſaverit,per *Inſtrumentum* verò *pacis Cæſareo-Svecicum* Art. 7. §. 1. paulo ante allegatum, *Reformatorum Religioni* æqualis ſecuritas & libertas cum *Romano-Catholicâ* & *Lutheranâ* ſit conceſſa, objectionum veterum renovatio non poteſt non impugnationem ipſius *Inſtrumenti Pacis*, (Art. 5. §. 49. ejusdem ſevere prohibitam) involvere.

Si verò *Romano-Catholici Proteſtantibus* & *Reformatis* diſſenſiones novas, inter *particulares* quosdam eorundem *Theologos* adhuc gliſcentes, objicere pergunt, & propter eas juribus *pacis religioſæ* exuendos eos cenſent, hi viciſſim eos rogant & monent, ut ſinum ſuæ *Eccleſiæ Romano-Catholicæ* præprimis excutiant, & bella inteſtina ſuorum Theologorum de *judice ſupremo & infallibili controverſiarum fidei*, quibus ſe jam ab aliquot ſeculis mutuò impetiverunt, ut & inter *Franciſcanos* & *Dominicanos*, *Sorboniſtas* item & *Jeſuitas* in

in quæſtione *de immaculatâ conceptione B. Mariæ Virginis*, inter *Dominicanos, Cappucinos* & *Jeſuitas de gratiâ & libero arbitrio*, & noviſſimè inter *Arnaldum* & *Malebranchium* & utriusque ſequaces, *de naturâ & gratiâ*, nec non innumera alia vetera & nova, inter *Thomiſtas, Scotiſtas, Occamiſtas, Moliniſtas, Bajaniſtas, Quietiſtas*, & alios, circa diverſos *fidei Articulos*, componendi, atque trabes ſuorum *Theologorum* oculis extrahendi, curam ſuſcipiant, antequam feſtucas oculis *noſtrorum* & *Reformatorum Theologorum*, eximere ſolliciti ſint, aut non in malam partem interpretentur, ſi *Proteſtantes* & *Reformati*, pari jure ipſis objiciant, ſe non niſi genuinam *Romano-Catholicam* & quidem unanimem, nec opinionum divortiis diſtractam, *religionem* jactantibus, pacem promiſiſſe, atque ſuper eâ impoſterum tolerandâ transegiſſe.

Quamvis autem hæc ad retundendas adverſariorum calumnias ſuf-

28. quod aliàs in genere de *immediatis Imperii Statibus* diſpoſitum eſt, in ſpecie ad *civitates Imperiales* ita applicatur, ut ibidem circa finem *neutri partium alteram* (adeoque *Catholici Auguſtanæ Confesſionis Status*, non tantùm de iis, quæ in *Auguſtanâ Confeſſione* expreſsè continentur, ſed in genere) *de religionis ſuæ exercitio, eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas ſit.*

(3.) *Inſtrumentum Pacis* Art. 5. §. *Quantum deinde ad Comites &c.* 29. pro principio, *communi per totum Imperium hactenus uſitatâ praxi*, roborato, agnoſcit, *Statibus Imperii immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis etiam jus reformandi exercitium religionis competere*. Sicut jam *Status immediati* à *Conſtatibus* ſuis ejusdem conditionis, ratione *juris territorialis & ſuperioritatis*, in ſuis territoriis ſunt independentes, ita etiam ratione *religionis* & *juris reformandi*. *Proteſtantes* igitur & *Reformati Status*, quoad ipſorum *religionem*, & quæ ab eâ

dependent, à *Statibus Romano-Catholicis*, liberas habent ædes.

(4.) Secundum diſpoſitionem dicti *Inſtrumenti Pacis* Art. 5. §. *in caufis religionis &c*, 51. juncto §. *pluralitas autem votorum*, 9. ibidem, *in cauſis religionis omnibusq; aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confesſionis Statibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attentâ votorum pluralitate*. Si hoc! *Auguſtanæ Confesſionis Satus* iterum, ratione *religionis & aliorū negotiorum, ubi Status tanquā unum corpus conſiderari nequeunt*, à *Romano-Catholicis Statibus* tam ſunt independentes, quàm hi ab illis.

(5.) Quoniam ante *Reformationem Statibus Imperii immediatis ſecularibus*, circa *religionem*, nemo aliquid, vel credendum vel docendum, præſcribere potuit, quam *Epiſcopi* & *Papa*, poſt *reformationem* verò *Jus Diœceſanum & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica Epiſcoporum*,

cum

cum omnibus ſuis ſpeciebus, *contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores*, *Principes*, *Status* (*comprehensâ liberâ Imperii Nobilitate*,) *eorumque ſubditos*, *usq; ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii religionis*, *ſuſpenſa ſit*, per diſpoſitionem *Inſtrumenti Pacis* §. *Jus Diœceſanum* 47. & *Papa* atque *Concilium Tridentinum*, per dira excommunicationis *fulmina*, *Proteſtantes* Eccleſiâ ſuâ, prout jam ſupra ad Quæſt. 1. annotatum fuit, planè excluſerint, nemo ſanè in mundo ſupereſt, qui, ratione *Religionis* ſuæ, ipſis aliquid præſcribere jure poſſit.

Quo jure; tandem (6.) *Romano-Catholici Status*, *Statq;* A. C. ratione *religionis* eorum, ad terminos adeo; anguſtos *Auguſtanæ Confesſionis* reſtringere volunt, cum tamen ipſi liberum ſibi putent, multa alia, præter ea, quæ in *Concilio Tridentino*, in rebus fidei & morum, definita ſunt, credendi & docendi. Quam ergò ſibi libertatem ſumunt, hanc relinquant etiam *Conſtatibus* ſuis

Proteſtantibus, iterum ex diſpoſitione *Inſtrumenti Pacis* Art. 5. §. *transactio* 1. ibi: *inter utriusque religionis Electores, Principes, Status, omnes & ſingulos, ſit æqualitas exacta, mutuaque &c. quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, violentiâ omni & viâ facti, ut aliàs, ita & hic* (circa religionem) *inter utramq; partem perpetuò prohibitâ.*

Si modò *Proteſtantes* nihil *Auguſtanæ Confeſſioni* contrarium doceant, nemo eos inconſtantiæ in *religione* ſuâ, meritò arguere poteſt, Ultra ea verò credendi & docendi, ex principiis antea adductis indubitatis, liberrimam facultatem habent, quæ credenda & docenda conſcientia eorum, ex *verbo Dei revelato ſacræ Scripturæ* informata, ipſis dictitat. Commodè huc referri poteſt illud Pauli Roman. 14. v. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit.*

Quomodo horum Statuum &c. doctrina non interruptâ ſerie ab Apoſtolis hucuſque deri-

derivata dici, quomodo Deus tribus diverſis iisque contrariis prorſus religionibus &c. debitè coli poſſit?) Si Dn. *Autor* omnes & ſingulos ſuæ *religionis Articulos* nobiscum controverſos, *ab Apoſtolis non interruptâ ſerie, hucusq; derivatos* probaverit, tunc ipſi ad interrogationem priorem reſpondebimus. Vid. *Matth.* 21. v. 23--27. Quàm difficile autem ipſi erit, & doctrinam ipſam ſuæ religionis, & ejus non interruptam ſeriem ab Apoſtolis hucusque derivatam, probare, tam facile nobis erit, omnia & ſingula noſtræ religionis capita ex ſcriptis Apoſtolicis genuinis demonſtrare. Curioſitatem, de non interruptâ ſerie, nos quidem citra periculum ſalutis transmittemus. Illam tamen *Flacius* in *Catalogo teſtium veritatis* & *Dietherıcus* in *Auctuario* ejusdem, nec non *Gerhardus* noſter in *Confeſſione Catholicâ* abundè explere poterunt. Quæſtionem poſteriorem aliquis neutri ex tribus *Religionibus* in *Imperio* re-

ceptis addictus negabit & reſpondebit, quod harum *Religionum* aſſeclæ, ſecundum placita ſuæ *Religioni* propria, *Deum debitè colere* non poſſint. Cum igitur quælibet pars nullum alium, quam *Deum*, hujus ſuæ ſententiæ *Judicem* agnoſcat, fruſtra, & invidiæ tantùm religionibus à *Romanâ* diſcrepantibus conciliandæ gratiâ, in materiâ de *Pace Politicâ* invicem colendâ, ea movetur.

A qualibet tamen parte debitè coli posſit? Reſp. *non eſſe controverſias hîc tractandas*) Suo ſe irretivit laqueo *Autor*, quod definitionem *Religionis* talem ſupra Quæſt. 2. formavit, quam *Proteſtantium* & *Reformatorum Religioni* hîc applicare nequit. Cur a. controverſias Theologicas movet, ſi locus eas tractandi hîc non eſt congruus; Scilicet, ut Lectoribus perſvadeat, *Religionem Proteſtantium & Reformatorum* inſuperabilibus difficultatibus premi.

V. *An*

V.

An nominatæ jam tres Religiones iisdem prorſus Imperii juribus & beneficiis hodie gaudeant? Reſp: *quod ſic.* art. 7. v. Unanimi & art. 5. §. 1. v. Transactio circa finem. *è.*

E. SEd non eodem modo, quoad prærogativam, *Catholicorum* enim, ut antiqua, & Univerſalis, per ſe, & *proprio jure.* Ita *Receſſus* omnes *Imperii*, quotquot circa negotium religionis diſponunt, in verbis ſæpiùs ibidem repetitis: die Stände der alten Religion.

Confer *Hiſtorias Eccleſiaſticas*, à tempore introducti in Germaniam

Chriſtianiſmi, uſque modo, & deprehendes, memoratos *Imperii Receſſus*, inibique contentam omnium paciſcentium Statuum *Confeſſionem publicam*, exinde verificari.

Quod ſi nec hoc ſufficiat, circumfer per orbem oculos, & interroga *Monumentorum lapides*, & reſpondebunt Tibi.

Proteſtantium, ut ſicuti certo autore, nomine, loco, & tempore circumſcripta & deſignata (videantur dicti *Receſſus Imperii* de Anno 1521. uſque ad An. 1555. incluſivè, in verbis, „die Stånde der Augſpurgiſchen „Confesſion, ſo Anno 1530. Kåyſer „Carolo dem V. daſelbſten übergeben worden/ꝛc. audiatur inſuper *Lutherus* ipſe, qui *To I. Lat. Witt. Anno* 1545. edito. *Solus primò eram*, inquit, *ſolus* „*tunc volvebam hoc ſaxum*, *ſolus ſtabam*

in

„*in acie, ſolus cogebar me objicere, adju-*
„*tus à nemine, ſolus in periculo verſabar.*
„(Item) *in principio tantam cauſam in*
„*me unum recipiebam, ô quoties mihi*
„*palpitavit tremulum cor, & reprehen-*
„*dens objecit eorum* (intellige Catholi-
„corum) *fortisſimum, & unicum argu-*
„*mentum, Tu ſolus ſapis? totnè errant u-*
„*niverſi? tanta ſecula ignorarunt?* tom. 2. de capt. Babylon. fol. 63. contr. Regem Angliæ fol. 497. De abrogand. miſſa. fol. 244. l.)

Ita etiam *à Catholicis*, eatenus ex pacto publico *permiſſa*, eique pax data eſt, atque libertas, quatenus clariſſimus *pacis publicæ de Anno 1555. textus* ſonat, quo me refero.

Reformatorum, ut vigore Inſtrumenti pacis loc. cit. impoſterum *tolerandæ*.

Hæſitabant hîc oculatiores, quod

itidem communi Statuum Confeſſione *Antiquitas* ſoli *Religioni Romano-Catholicæ* tribuatur, cui ego impræſentiarum diutius non immoror.

NOTÆ.

Sed non eodem modo, quoad prærogativam) Conferantur ea, quæ ad Quæſtionem præcedentem jam ſunt annotata. *Proteſtantes* & *Reformati* libertatem religionis ſuæ, perinde ac *Romano-Catholici*, ſoli *Deo*, non verò permiſſioni aut tolerantiæ aliorum, pari jure cum ipſis gaudentium, debent: & hi non aliter illorum, quam illi horum, religionem *tolerant*, cum ſint *unius Reip. cives*, æqualibus *autonomiæ* & *territorii* majeſtaticis juribus coruſcantes, nec alii ab aliorum arbitrio aut tolerantiâ pendentes, ſecundum dict. *Inſtrumenti Pacis Art.* 5. §. 1, 28. 29. 47. & 51. In fumum ergò abit diſtinctio *Dn. Autoris* hîc facta & teſtimonio *Lutheri* ſtabilita. Eodem ſcilicet ſenſu *doctrina*

na Chriſti Phariſæis certo Autore, nomine, loco & tempore circumſcripta erat. Matth. 13. v. 55. 56. *Joh.* 6. v. 42. c. 7. v. 27. & 52. & c. 9. v. 29. Is quoque *ſolus erat, ſolus volvebat hoc ſaxum, ſolus ſtabat in acie, ſolus cogebatur ſe objicere, adjutus à nemine*, eorum, qui authoritate publicâ *Eccleſiæ Judaicæ* præerant, *Joh.* 7. v. 48. *ſolus in periculo verſabatur.* Sed quid hoc contra ejus tum perſonam, tum doctrinam? Anne eapropter hanc etiam permiſſioni aut tolerantiæ *Judæorum* acceptam ferre tenebatur? Ita quidem ſummi eorum *Sacerdotes* & *Primores* putabant. *Matth.* 21. v. 23. *Act.* 4. v. 7. 18. & 21. *Chriſtus* verò *miſſionem & mandatum Patris* atque *Scripturam de ſe teſtantem* contra obtendebat. *Joh.* 5. v. 30--47.

Hæſitabant hîc oculatiores) Parum oculatos, imò luſcos, eos oportet eſſe, qui nominibus decipi eludive ſe patiuntur, aut ab his ad rem ipſam apodictica argumenta peti poſſe perſvaſi ſunt.

VI.

An præter duas ultimas nulla alia in S. R. Imperio Religio permiſſa ſit? Reſp. quod non. art. 7. ſi verò aliqua, in fine. *f.*

F. FAxit DEUS, ut hujus diſpoſitionis effectum in eorum Statuum territoriis, ubi etiamnum hodie aliorum Sectariorum cohortes morantur, brevi experiri valeamus.

Si quæris, quis impediat executionem hujus diſpoſitionis tam neceſſariæ? tam momentoſæ? Reſp. *Themiſtius*, ejusque ex ſorore Nepos *Vallemuſchia*.

NOTÆ.

Art. 7. verſ. Si verò aliqua) Eſt §. 2. in fine, cui jungatur *Pax Religioſa* in *R. I. Au-*

I. Auguſtano Anno 1555. Doch ſollen alle andere. 17.

Ubi etiamnum hodie aliorum Sectariorum cohortes morantur.) Cum longe ante *Pacem Religionis* & *Inſtrumentum Pacis Cæſareo-Svecicum*, *Judæi* aliique *Sectarii*, in *Imperio* noſtro *Romano-Germanico*, hinc inde ab *Imperatore* & *Statibus Imperii* ſint recepti ac tolerati, & poſt illud in eorum Regionibus adhuc tolerentur, ſenſus à Dn. *Autore* ex dicto *Inſtrumento Pacis* allegatorum verborum, ſicut & *Pacis Religioſæ*, non alius, quàm hic eſſe poteſt, quod, præter religiones tres, nulla alia, contra *Imperatoris* & *Imperii Statuum* voluntatem, receptionem, tolerantiam aut *jus emigrandi*, cum ſpatio trium aut quinque annorum,, ex his *Conſtitutionibus Imperii*, prætendere poſſit, ſalvo interim arbitrio *Statuum* , quouſque illi *jure* ſuo *ſuperioritatis* & *reformandi* contra aliarum *Religionum*, præter tres iſtas, aſſeclas in ſuis *territoriis* uti velint. Sed

ſi

ſi *Dominus Territorialis* ſemel alios *Sectariôs* ſub certis pactis recepit, contra illa pacta quoque ab eo aut ejus *Succeſſoribus* non ſunt gravandi, & caſu quo *emigrationis beneficium* ſimplex, cum ſpatio ad emigrandum neceſſario, illis etiam eſt concedendum. *Tam odioſa eſt remanetque ſubditorum non ſolum, verum etiam aliorum, qui Magiſtratui ſubjecti ſunt, iniqua gravatio, ut ipſis quoque Judæis ſuccurratur, ideoque, ſi quis eos ſemel in protectionem ſuſceptos, maximè, ſi pacificè & ſecundum leges præſcriptas vivant, nec quicquam turbulentum tentent, contra pacta & Privilegia ejicere attentet, adverſus eundem, ad petitionem Judæorum, in Camerâ Mandata cum clauſulâ decerni ſoleant.* Sunt verba Domini *SinoltSchützii* de *Jure Publ.* Vol. 2. *Exercit.* 6. th. 24. lit. c. ubi etiam hanc ſuam ſententiam *præjudiciis Cameralibus* & aſſenſu aliorum *Juris Publici Doctorum* roborat.

Themiſtius, ejusq; ex ſorore Nepos Vallemuſchia) Qui & cujâs hi ſint, fateor

hacte-

hactenus mihi compertum non eſſe, parùm quoque Lectorum intereſſe puto, obſcurorum ejusmodi virorum notitiam acquirere.

VII.

An ſicuti libertas Religionis, ita etiam conſcientiæ, in Inſtrumento Pacis permiſſa ſit? Reſp. quod ſic. art. 7. verſ. ſalva itidem cujusq; conſcientiæ libertate art. 5. §. 12. verſ. *placuit porrro, & alibi ſæpiùs.* g.

G. SUnt aliqui, qui credunt, diſpoſitionem hanc neceſſariò ſupponere: *In ſuâ quemque fide ſalvari poſſe, contra Apoſtol. ad Epheſ. 4. 5.* Quidquid ſit, *Libertas hæc ultra* illas in præceden-

cedenti Quæſt. 4. memoratas *tres Religiones extendenda non eſt, adeoque, qui ab unâ harum* v. g. *ad Anabaptiſtas, vel alios Sectarios, poſthàc transierit, tolerandus non foret*, poſſetque contra talem *Reformandi jus*, nullo *emigrandi jure* conceſſo, rigoroſè exerceri. Juxta id quod *cit. art. 7. verſ. ſi verò aliqua, in fine* expreſsè habetur.

Profundiorem Quæſtio hæc mereretur deductionem, ſed cum à paucis eam conſiderari video, pergo ad Quæſtionem

NOTÆ.

In ſuâ quemque fide ſalvari poſſe) Error eorum, qui hanc conſequentiam nectunt, manat ex Confuſione *veritatis religionis*, cum *tolerantiâ* cujuscunque ſ. *veræ* ſ. *falſæ religionis*, cum altera ſine alterâ eſſe poſſit. Poteſt *vera Religio* non tolerari, poteſt etiam *falſa religio* tolerari. In *Republicâ*, cujus cives

ves diverſis, & ſibi invicem contrariis, *religionibus* adhærent, pacis conſervandæ causâ, alter alterius *Religionem*, ſine ejusdem approbatione, tolerare poteſt, imò tolerare neceſſe habet, ſi quilibet *ſuperioritate* in ſuâ regione gaudet, nec alter alterius *Imperio* ſubeſt. Cujus exemplum etiam præbent *Helveticæ Reipubl. Cantones Romano-Catholici & Reformati.*

Poſſetq; contra talem reformandi jus &c. rigorosè exerceri) Rationes *Statuum Imperii* circa Quæſtionem: *An jus reformandi Juri ſuperioritatis* annexum ſit? vid. apud *Autorem Hiſtoriæ Pacis Weſtphalicæ* lib. 5. pro *negativâ* quidem §. 42. pro *affirmativâ* autem & *mediâ* §. 43.

Profundiorem Quæſtio hæc mereretur deductionem) Quæſtio hæc, uti formata eſt, nullam *profundiorem meretur deductionem.* Nam cui permiſſa eſt in foro externo *religionis libertas*, eidem in eodem foro *conſcientiæ libertatẽ* quoque permiſſam eſſe oportet, cum illa absque

absque hâc eſſe nequeat. Licet in certâ regione aliquibus *conſcientiæ libertas*, absque tamen *publico* aut *privato religionis exercitio*, permitti poſſit, de quo infra ad Quæſt. 11. & 18.

VIII.

Quid ſi ex Catholicis Archi-Epiſcopus, Prælatus, vel alterius ordinis Eccleſiaſtici Antiſtes, ſolus, vel unà cum ſuis Capitularibus, aut Canonicis, aliquibus, vel omnibus, Religionem ſuam poſthàc mutaret, & ad alterutram ex duabus permisſis transiret? Reſp. *transiret, & defectus hic*

à Ca-

à Catholicis impediri non poſſet. art. 5. §. 3. ſi igitur. h.

H. SEd nonne prudenter timendum, diſpoſitioni huic tacitam illam (*conſcientiam tuam onerantes, noſtram ſublevantes*) ineſſe clauſulam? Nota tamen, quod ejusmodi transiens (quantumvis proprio honore, & famâ illibatis, ſimulque fructibus & reditibus, interea perceptis, & conſumptis, illi relinquendis) omnia jura, bonaque Eccleſiaſtica prius habita, eô prorſus modô, ac ſi ipſe mortuus eſſet, amittat, liberumque ſit Capitulo, Monaſterio, Eccleſiæ, aut cui id de jure competit, aliam perſonam, illi Religioni, ad quam beneficium iſtud, vigore Inſtrumenti Pacis, pertinet, addictam, ſtatim eligere,

re, aut poſtulare, & reditibus inſuper, aliiſque juribus Eccleſiaſticis, uſque dum alius debitè electus fuerit, frui.

Eodem prorſus modo diſpoſitum invenitur, ſi *Auguſtanæ Confesſioni addictus in Archi-Epiſcopum, Epiſcopum, Prælatum, electus vel poſtulatus*, ad alterutram ex duabus reliquis tranſiret.

Quod idem (ſuo modo) etiam de *quolibet Eccleſiaſtico privato*, Religionem ſuam mutante, intelligi debet, loc. cit.

Sed quare tam altum hîc de Excellentiſſimorum *Teutonici & Melitenſis Ordinis Principum, Magiſtrorum Generalium, & Commendatariorũ* ad diverſam Religionẽ tranſitu, ſilentium?

Si dicis, illum minimè timendum, riſum movebis. Quod enim ſemel

ſemel factum eſt, adhuc fieri poteſt. Si Perſonas verè Eccleſiaſticas, vel religioſas illos eſſe, adeoque in pace Religionis. Verſ. Nachdem comprehendi negaveris, *cum Gylm. loc. cit. fol. 194.* in ipſius Ordinis ſtatuta, forſitan tibi incognita, injurioſus eris, proinde, quin ſub eâdem diſpoſitione *art. 5. & 3. verſ. ſi igitur.* ex paritate tam Statûs, quàm rationis, comprehendantur, dubium nullum ſupereſſe poteſt.

De Tranſitu privatorum Religioſorum ad Proteſtantium Sacra, cùm regulariter non fiat propter *Lazarum*, ſed propter *Martham*, adeoque parum Reipublicæ Eccleſiaſticæ noceat, non merebatur eorum curta ſuppellex, ſpecialiter illorum hic meminiſſe, facilè rediturorũ, ſi mulieroſitate paſci ipſis in principio ſtatim denegetur.

Aliud

Aliud dicendum foret, ſi ex *ſecularibus Imperii Statibus*, quiſpiam Religionem ſuam mutaret, non enim in Inſtrumento pacis habetur, ejusmodi quidquam amittere.

Habes fortè, quod cum *Erneſto de Euſebiis*, contra hanc diſpoſitionem objicias, ſed quia hic *Pacificus* ſum, ad ſubtiliſſimi *Caramuelis pacem licitam* demonſtratam; brevitatis cauſa, te remiſſum volo. Sed quæres

N O T Æ.

Art. 5. §. 3. verſ. ſi igitur) In *Corpore Receſſuum Imperii* ſæpius allegato eſt *Art.* 5. §. 15.

Conſcientiam tuam onerantes, noſtram ſublevantes) Cum nec *Deus omnipotens conſcientias* hominum cogat; homines, illarum libertatem ſibi invicem relinquentes, ſine peccato alienam onerare & propriam ſublevare poſſunt *conſcientiam*, ſi docendo & informando

do ad aliorum ſalutem promovendam, illorumq; damnationem avertendam, quicquid potuerint, contulerint. Quilibet autem factorum ſuorũ ſupremo *Judici, Deo* aliquando rationem reddet. *Heſek.* 33. v. 9. *Matthæi* 10. v. 14. *Marci* 6. v. 11. *Lucæ* 9. v. 5. *Act.* 13. v. 46. Quæ porrò hîc ab *Autore* adducuntur, non aliâ indigent annotatione, quàm quod *Proteſtantes Reſervatum* hoc *Eccleſiaſticum Romano-Catholicorum Epiſcoporum*, quod originem ſuam habet ex *Pace Religionis* de Anno 1555. in R. I. iſtius Anni §. 18. poſt longas diſceptationes tandem, pacis obtinendæ causâ, inierint. Vide latè hanc controverſiam inter *Status* ventilatam apud ſæpe allegatum *Autorem Hiſtoriæ Pacis Weſtphalicæ* lib. 2. §. 70. & lib. 3. §. 1. 25. 29. 92. 93. 96. & ſeqq.

Non propter Lazarum ſed Martham) *Blaſphemum* hoc in ipſum *Salvatorem* noſtrum, à *Judæorum Magiſtris* profectum, *proverbium*, quid mirum, ſi à *Pontificiis* etiam ad *Monachos*, ab ipſorum ad noſtram

ſtram religionem transeuntes, applicetur! Multos *Monachorum* Statũ iſtum & *religionem* ſuam, inter alias cauſas, etiã propter impoſſibilitatem ſervandi *cœlibatus voti* deſerere, verbo *Dei* non repugnat, vid. 1. *Cor.* 7. v. 2. & 9. imò principiis *Juris Canonici* ipſius convenit, in c. *in malis promiſſis.* 5. c. *ſi aliquid* 16. XXII. Quæſt. 4. c. *quanto perſonam* 18. X. *de jurejur.* c. *non eſt obligatorium* 58. *de R. I. in* 6.to *Mulieroſitate* neque *Monachos* ex *Papatu* ad nos tranſeuntes, neque alios paſcimus, licet *connubium* cum *Apoſtolo ad Hebr.* 13. v. 4. *honorabile in omnibus & thorum immaculatum* credamus. Quod verò plerique eorum, qui *cœlibatus voto* ſe obſtrinxerunt, in *Papatu mulieroſitate* (non tamen ſub honeſto *Conjugii*, ſed potius infamibus *Concubinatus*, *Scortationis* & *adulterii titulis*) paſcantur, & hoc ipſo *judicii divini* ab eodem *Apoſtolo*, loco citato, denunciati ſe reos faciant, experientia ſatis ſuperque teſtatur.

Cara-

Caramuelis pacem licitã) cui jungantur *Hermannus Conringius* in libellis duobus *de Pace perpetuâ inter Imperii Germanici ordines religione diſſidentes ſervandâ*, & *Joh. Georg. Dorſcheus in Anticriſi; Invectivâ in vehiculum judicii Theologici; Trigâ Syndromâ*; Item der nothwendigen Entdeckung des Blutdürſtigen Urtheils / welches der vermumte Ernſt von Euſebiis, Römiſcher Bürger / über die Frage / ob der Friede in Teutſchland / wie jhn die Proteſtirenden begehren / für ſich ſelbſt unerlaubt und unrecht ſey; nec non in *Anacriſi Criſeos Lojolitica pro Pace religionis*. Qui dubiis, ab *Erneſto ab Euſebiis* aliisque *Pontificiis* motis, abunde ſatisfecerunt, & ſcriptis iſtis negotium pacis, à *Lojolitis* impeditum & turbatum, haud parum promoverunt.

IX.

An ſecularis aliquis Imperii Status (Princeps v.g.) *Re-*

ligionem ſuam poſthàc mutans, ſubditos ſuos ad eandem noviter ſuſceptam adigere posſit? Reſp. quod non. loc. ſupra cit. i.

I. Sed an poſſit eam publicè in Territorium ſuum introducere? Et diſtingve:

Vel tranſit *Catholicus* ad alterutram reliquarum duarum Religionum, & tunc jure Superioritatis exercitium *Religionis* illius recens ſuſceptæ in Territorium ſuum publicè introducere poterit: *Incolæ* tamen, & *ſubditi* migrare, aut ſuam, in cujus ſive publico, ſive privato exercitio Anno 1624. quâcunque anni parte fuerunt, Religionem deſerere non debebunt, ſed eandem, eodemque pror-

prorſus modo, cum annexis omnibus, quatenus illa dicto Anno exercuerunt, retinere poterunt. *Art. 5. §. 12. verſ. quantum deinde.* ubi annexa enumerantur.

Idem eſt, ſi *Proteſtantium*, aut *Reformatorum* aliquis Imperii Status ad Catholicam Religionem transmigraret. loc. cit.

Vel tranſit *Auguſtanæ Confeſſioni addictus* ad *Reformatorum Religionem*, vel viciſſim *Reformatus* ad *Confeſſ. Auguſtanam*: Et tunc *Neuter* horum noviter ſuſceptæ Religionis ſuæ exercitium in Territorium ſuum introducere, ſed Aulicos ſolummodo Confesſionis ſuæ Concionatores, citra ſubditorum onus, aut præjudicium, ſecum, atque in Reſidentiâ ſuâ habere poterit, ſine ullâ aliàs in Territorio ſuo eâ propter factâ mutatione.

 Idem

Idem eſt, ſi alteruter horum Statuum ſive jure ſucceſſionis, ſive aliô quocunque titulo, Principatum, vel Ditionem, ubi alterius partis ſacra exercitio publico vigent, nactus fuerit, vel recuperaverit: Hoc enim mutationis, & recuperationis caſu, ipſis *Communitatibus* licebit, Eccleſiarum, Scholarum &c. ſuæ Religionis Miniſtros (*à Principe, ſeu Territorii Domino ſine recuſatione confirmandos*) nominare, & præſentare. Quod ſi verò Communitatum aliqua, Religionem, â Domino ſuo noviter ſuſceptam, ultrò amplecti voluerit, & ejusdem exercitium ſuo ſumptu petierit, liberum erit Domino, illud (à ſucceſſoribus poſtmodum non auſſerendum) ſine præjudicio tamen reliquarum Communitatum, ei indulgere.

Ratio

Ratio autem diverſitatis hujus in Inſtrumento Pacis. *art. 7. verſ. Unanimi.* his verbis exprimitur:

„ *Quoniam verò controverſiæ Religio-*
„*nis, quæ inter modo dictos Proteſtantes*
„*vertuntur, hactenus non fuerunt com-*
„*poſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſer-*
„*vatæ ſunt, adeoq; illi duas partes con-*
„*ſtituunt,* (ſed cur hoc? ſi SS. Scri-
„ptura eſt judex Controverſiarum?)
„*ideo de jure reformandi inter utramq;*
„*ita* (ut jam dictum) *conventum eſt &c.*

Si quæris, *quinam ſubditorum nomine* in propoſita, & ſequentibus Quæſtionibus *veniant?* Reſp. *non privatos tantùm, ſed & Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Civitates, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates, Statibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus, ſubjectas*, ſub hoc nomine & diſpoſitione intelligi; & comprehendi. cit. §. 12.

Nec dicas, hoc modo Statibus Imperii competens *jus reformandi*, ſi non prorſus ademptum, notabiliter ſaltem impeditum eſſe. Reſp. enim, Jus illud loc. cit. potius eſſe confirmatum, & caſus, ubi plenariè exerceri valeat, dari, vid. annot. ad Q. 7. & infra. Licet aliàs, tam ratione publici exercitii, quàm aliarum rerum, Religionem concernentium, ſtatus jam jam allegandus ad ungvem obſervandus ſit.

NOTÆ.

Tunc jure ſuperioritatis exercitium religionis illius recens ſuſceptæ in territorium ſuum publicè introducere poterit) Autor ex *Art.* 5. §. 29. *J. P. Cæſareo-Svecici* concluſionem elicere vult, quæ ex eo, neque quoad verba, neque per conſequentiam legitimam, elici poteſt. Summa iſtius paragraphi, quantum quidem ad noſtram Quæſtionem attinet,

net, eò redit: Quod *Statibus Imperii immediatis*, cum *jure territorii* & *ſuperioritatis*, competat etiam *jus reformandi exercitium Religionis*, & *ſubditis*, ſi à *Religione Domini Territorii* diſſentiant; *h. e.* noviter diſſentire incipiant, *beneficium emigrandi* concedendum ſit. Quia autem §. ſeq. 30. *Statuum Catholicorum ſubditis, qui publicum ſ. privatum A.C. Exercitium Anno 1624. habuerunt*, proſpectum eſt, *ut id retineant etiam inpoſterum, cum annexis, quatenus illud dicto anno exercuerunt*, exinde ſequitur, quod ſi *Subditi* Principatus aut Regionis alicujus Anno 1624. *Auguſtanæ Confeſſionis exercitium* publicum *ſolitarium* & *excluſivum* habuerunt, *Dominus Territorialis*, ad *Romano-Catholicam Religionem* noviter transiens, aut regionem illam noviter, vigore pactorum familiæ, aut per ſucceſſionem, aut alium modum legitimum, acquirens, *exercitium* ſuæ *Religionis*, *ſubditis* invitis, in *territorium* ſuum publicè introducere

non poſſit (quod tamen non impedit, quo minus pro ſe & *aulæ* ſuæ *Miniſtris* aliisve, qui idem cum ipſo ſentiunt, ſuæ *religionis exercitium in aulâ ſuâ* habere poſſit, cum hoc ſolum, ſi aliud non accedat, exercitio *religionis ſubditorum* nihil præjudicet,) Aliàs enim ſubditis ejus *Auguſtanæ Confeſſioni* addictis *exercitium* ſuæ *religionis ſolitarium* & *excluſivum* non maneret, *quatenus illud Anno 1624. exercuerunt*. Non obſtat, quod *Domino Territoriali competat jus reformandi*. Hoc enim ſalvum ipſi eſt & manet, *licet exercitium ejus juris*, transactione hac publicâ, pacis & tranquillitatis conſervandæ, & perſecutiones ac oppreſſiones *ſubditorum* vitandi causâ, contra *ſubditos* ſuos A. C. addictos, qui Anno 1624. ſolitarium ſuæ *religionis exercitium* habuerunt, *ſit ſuſpenſum uſque ad amicabilem compoſitionem de diſſidiis Religionis*. Quid? quod *Autor* ipſe in fine hujus Quæſtionis fateatur, *jus reformandi Statibus Imperii com-*

competens per limitationes & reſtrictiones ejusmodi *potius confirmatum, quàm ademtum eſſe*, & *caſus dari, ubi plenariè exerceri valeat.* Nec obſtat porrò, quòd ſupra ad Quæſt. 6. à nobis ipſis aſſertum eſt, à *Domino territorii* poſſe etiam *Judæis* aliisque *Sectariis* de novo exercitium ſuæ religionis concedi, ergò multò magis iis, qui *religioni per ſanctiones publicas in Imperio receptæ* addicti ſunt. Nam talis tolerantia de novo rarisſimè fit, & quando fit, *ſubditis*, ejusdem cum *Domino Territoriali* religionis, non tam præjudicat in *exercitio* ſuæ *religionis*, quam *religio Domini Territorii* ab eorum *religione* diverſa, cujus exercitium *Inſtrumentum Pacis* per reſtrictionem ad Statum Anni 1624. tutum & inviolabile ponere voluit. Praxin huic ſententiæ contrariari non ignoro, & eapropter ſtatum *religionis* miſerorum *ſubditorum* ſub *Dominis Territorialibus*, aliam *religionem* ſectantibus, deploro, utpote quibus legum

auxilium eſt *campana ſine piſtillo.*

Idem eſt, ſi alteruter horum Statuum (ſ. jure ſucceſſionis ſ. alio quocunque titulo principatum vel ditionem nactus fuerit) Peculiari hâc ſanctione *Art. 7. Inſtrumenti Pacis Status Proteſtantes & Reformati* quilibet *ſubditis ſuæ religionis* in futuros caſus mutationis *Dominorum territorii* alterius *religionis*, præprimis verò *A.C. addicti Status* ſubditis ſuæ religionis, in iis regionibus, quæ uni atque alteri *Statuum Reformatorum* ſatisfactionis loco tunc ceſſæ ſunt, proſpicere voluerunt. Vid. Dn. *Rhetius* in *Inſtit. Juris publ* lib. 2. tit. 1. §. 44. ubi dicit: *De jure reformandi inter Reformatos & Lutheranos per Inſtrumentum Pacis ita conveniſſe, ut, ſi in futurum aliquis Status Imperii territoria vel ditiones in Imperio Romano-Germanico quocunque titulo, ſive ſingulari ſive univerſali*, i. e. *ſucceſſionis, acquireret, ſubditos in ſtatu religionis relinquere debeat, quo accepit, nec per indirectum exercitio religionis eorum infer-*

inferre præjudicium. An verò contra placita hæc ſubditi A. C. addicti à *Dominis Territoriorum Reformatis* hinc inde graventur, uti multæ circumferuntur querelæ, alii judicent.

Sed cur hoc, ſi S. Scriptura eſt Judex controverſiarum?) Vitia hominum, ſententiam Judicis aut legis ad ſuum cujusque ſenſum trahentium, officium hoc ipſi adimere nequeunt. Ab aliquibus *Romano-Catholicis Papa* ſtatuitur *Judex controverſiarum fidei*, cum contra alii autoritatem hanc *Conciliis Univerſalibus* vindicent. Hinc alii illorum decreta *Conciliorum Conſtantienſis*, *Baſileenſis* & *Piſani*, pro autoritate *Concilii* ſupra *Papam*; contra alii decreta *Concilii Lateranenſis* V. pro autoritate *Papæ* ſupra *Concilium* defendunt. Jam quis erit *Judex* in his controverſiis? *An Papa, an verò Concilium Univerſale, ſit Judex controverſiarum fidei? An Conciliorum trium anteriorum, an verò poſtremi decreta infallibili Spiritus S. inſpiratione nitantur?*

tur? An Papa ſit ſupra Concilium, & an ſolus, abſque Univerſali Concilio, articulum fidei definire poſſit? Nec *Papa* nec *Concilium* poſſunt eſſe *Judices*, cum propria cujusque agatur *cauſa*. Si una alterave aut utraque pars in hâc ſuâ controverſiâ provocat ad *Scripturam*, habemus quod volumus, & dicimus: Si *Scriptura* in unâ controverſiâ poteſt eſſe *Judex*, quidni & in aliis? *Scriptura* autem non eſt *Judex*, externâ vi ſententiam ſuam in his terris executioni mandans, ſicut *Papa* aut *Concilium Univerſale* prætendunt, ſed eſt *Judex Conſcientiarum*, quarum dictamen *ſupremus Judex* aliquando in extremo die cuique in memoriam revocaturus, & vel innocentes abſoluturus, vel nocentes damnaturus eſt, ſecundum dicta *Joh.* 12. v. 48. *ad Hebr.* 4. v. 12.

X.

Quodnam tempus tam ratio-

ne

ne Exercitii Religionis, ſive publici, ſive privati, quàm aliarum rerum Religionem concernentium, pro normâ & Regulâ univerſali obſervandum? Reſp. *reductionem faciendam eſſe ad primam Januarii Anni 1624.* k.

K. ITa, ut in omnibus & ſingulis, Religionem concernentibus, idem ſtatus ubique *manere* debeat, qui fuit Anno dieque jam dictis, *Art.5.* §. *2.verſ.terminus à quo.*§.*14.in fin.Art.5.* §. *9. verſ. quæcunque.* & alibi.

Hoc volo dicere, *Statuum Catholicorum ſubditos, qui, ſive publicum, ſive privatum Auguſt. Confeſſionis Exercitium*

tium dicto Anno 1624. quâcunque anni parte, & quocunque modo, habuerunt, in eodem etiam poſthàc manere poſſe.

Quod idem obſervandum eſt ratione *Catholicorum Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditorum*, nullo nec Superioritatis, nec reformandi jure hoc caſu obſtante. Art. 5. §. 12.

Noli confundi, dum *quandoque primus Januarii, cum Anno 1624. quandoq; ſolus Annus; quandoque Annus cum quâcunque ejus parte*, *in* Inſtrumento Pacis expreſsè obſervandus præcipitur: Diſcrimine enim inter ipſa *bona Eccleſiaſtica, eorumque reſtitutionem* (quod Status Imperii immediatos ut plurimum tangit) & *ipſum Religionis Exercitium* (de quo ſolùm hîc) obſervato, nulla remanebit difficultas. *In illis reſtituendis* ſiquidem *præcisè terminus primæ Januarii dicti Anni 1624.* *obſer-*

Digitized by Google

obſervandus Art. 5. §. 2. *In hoc, ſive publico, ſive privato, quæcunque dicti jam Anni pars* (quoad Subditos & Communitates) *attendenda veniat*, ita ut, ubi Religionis exercitium, ſive publicum, ſive privatum, quâcunque Anni 1624. *parte* viguerit, ibidem illud, eodem prorſus modo, manutenendum ſit, loc. cit.

Confer huc, quæ infra, Q. 14. verſ. *Patet* 2, annotamus, & ratio hujus clarè eluceſcet.

Cæterùm habeo hîc, cur paulisper ſubſiſtam. Qui enim in ſanctisſimas quasque res incidere poteſt, ac ſolet, ille ipſe ſe hîc ingerit abuſus. Naſcitur autem ex duobus maximè principiis, *Malitiâ* & *Ignorantiâ*, ſemper culpabilibus. Sciunt *Docti*, & novit *Arator*, tam in puncto Religionis, ejusque exercitii ſive publici ſive pri-

privati, quàm in Eccleſiaſticis & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt, *Terminum à quo eſſe Primam Jan. Anni 1624.*

Sed quid ſibi hoc velit, vel craſsè ignorant, vel malitiosè diſſimulant. Quò fit, ut omnia, eaq; leviſſima, ſive cum Religione & rebus Eccleſiaſticis connexionem aliquam habeant ſive non, ad dictum diem Annumque redacta velint.

Quid? ſi *Anno* 1624. in civitate Catholicâ, quidam *Auguſtanæ* Confesſioni addicti cives, ob morum honeſtatem, in Senatores electi fuiſſent *liberè*. An propterea Civitas illa ad alios ejusdem Religionis in Magiſtratum ſuſcipiendos, vigore termini hujus à quo, etiam hodie cogi poterit?

An Eccleſia. 1. Jan. Anno 1624. fortè

fortè *deformis*, *deſolata*, *& prophanata*, talis & hodie manere debet? Anne *meliorationes interim factæ* amovendæ, & vermiculoſa antiquata reponenda?

An tranſitus per Cœmiterium, aliumve locum pium, à Monaſterio Civitati, *ex merâ humanitate*, *liberâ voluntate*, *aut majoris commoditatis gratiâ*, Anno 1624. fortè conceſſus, hodie proterea neceſſariò concedendus?

An Monaſterio *libera rerum ſuarum adminiſtratio* ad Statum dicti termini à quo indiſtinctè reſtringi?

An quis ad continuationem Eleemoſynæ alterius Religionis Leproſorio, Hoſpitali, vel Orphanotrophio ante, in, & poſt An. 1624. *ex merâ miſericordiâ*, *& charitate Chriſtianâ*, *adeoque ex liberâ facultate* (pro quâ cæteroquin præſumitur) dari ſolitæ, in caſu fortè recuſationis, vigo-

re

re Inſtrumenti pacis, locis citatis, adigi poterit? Rides hæc? ſed contigére tamen, & abſurdiora fortè, quæ recenſere non tam odioſum, quàm faſtidioſum foret. Sufficit, hanc legis mentem non eſſe, adeoq; *Inſtrumento Pacis abuti eos, qui terminum illum à quo, non niſi ſecundum diſpoſitionem Inſtrumenti Pacis, intelligendum, ad obvia quæq;* (præſertim ſi proficua) *accommodare præſumunt.*

Dixi autem notanter, *ex merâ liberâq; facultate dari ſolitæ.* Si enim in *fundatione, vel conſtitutione aliqua* (quâcunq; etiam illa) talis Eleemoſynæ datio radicata vel fundata ſit, aliter ſentiendum, eaque meritò redituum Eccleſiaſticorum ſpeciei annumeranda foret.

N O T Æ.

Art. 5. §. 2. *verſ. terminus à quo* §. 14.

14. in fine Art. 5. §. 9. verſ. quæcunque) Textus hic allegati ſunt ex *Art.* 5. §. 2. 24. & 41.

Nullo nec Superioritatis nec reformandi jure hoc caſu obſtante) *Jus ergò Superioritatis* & *reformandi* in ſe ſalvum eſſe & manere poteſt, licet in certis caſibus per pacta ſit reſtrictum. Textus ab *Autore* hic allegatus eſt eſt *Art.* 5. §. 29.

Rides hæc, ſed contigére tamen, & abſurdiora forte) Omninò contigére talia & adhuc contingunt, ac præcipuè fiunt ab iis *Territoriorum Dominis*, qui *Subditorum Religionem*, à ſuâ diverſam, ſi non planè opprimere poſſunt & audent, tamen premere & per indirectum ſubruere non omittunt.

XI.

An, qui nulla dicti An. 1624. parte publicum vel privatum Religionis ſuæ exerci-

tium

tium habuerunt,& tamen diverſam à Territorii Domino Religionem habeant, eamque deinde profiteri volent, ab eodem Domino ad eam, quam ipſe profitetur, Religionem compelli poſſint? Reſp. quod non Art. 5. §. 12. verſ. placuit porro. *l.*

L. Eſſent enim tales *patienter tolerandi*, ipſisque conſcientiâ liberâ domi devotioni ſuæ, ſine ullâ turbatione, *privatim* vacare; *Publico* autem *Religionis* ſuæ *exercitio*, non niſi in viciniâ, ubi & quoties voluerint, intereſſe concedendum foret.loc.cit.

Intellige hoc, *niſi emigrare cogantur,*

gantur, aut ſuâ ſponte voluerint, quo caſu eis aut bona ſua retinere, & per alios adminiſtrare, aut ea alienare, *cit. verſ. quod ſi verò*: integrum omninò erit.

Duo hic oriuntur dubia, *primum*, An *devotioni ſuæ domi privatim vacare* idem ſit, ac *privatum habere Religionis ſuæ exercitium*, & dico *qood non. vid. infra Q. 18.* Ubi quomodo hæc duo inter ſe diſtingvantur, & quales unius vel alterius ſint effectus, explicatur.

Secundum, An ejuſmodi ſubditus (de quo Quæſtio hæc) etiam *privatum Religionis ſuæ exercitium* (quod fortè in vicinia habetur) *frequentare* poſſit? Et ſanè, cum Inſtrumentum pacis loc. cit. non niſi *publici* mentionem faciat, non auſim affirmativè reſpondere, ſed vel *domeſticâ devotio*-

votione contentus eſſe, vel *publicum* alibi *Religionis ſuæ exercitium* adire debebit. Plura de his vide infra. *Q.* 18.

NOTÆ.

Art. 5. *§.* 12. *verſ. placuit porro*) Eſt §. 33. d. Art. 5. in editione Corporis *Receſſuum Imperii.*

Eſſent enim tales patienter tolerandi, ipſisque conſcientiâ liberâ domi devotioni ſuæ ſine ullâ turbatione privatim vacare) Miſeris *Teſſereggenſibus A.C.* addictis *Archiepiſcopi Salisburgenſis* ſubditis, nuper admodum, nec hoc, nec flebili *emigrandi beneficio*, etiam in ſenſu duriori (de quo paulò poſt) ex integro frui permiſſum eſt, utut *Status* non tantùm A. C. ſed & *Reformati* aliquoties pro iis interceſſerint. Utinam verò talia *Romano-Catholici Proteſtantibus* præſtarent, quæ in ſimili caſu, vigore legum publicarum, ſibi ab his præſtari vellent.

Niſi

Niſi emigrare conantur.) Verba ab *Autore* ex *Inſtrumento Pacis* allegati verſus (qui eſt §. 35.) ita habent: *Quod ſi verò ſubditus, &c. ſuâ ſponte emigrare voluerit, aut à Territorii Domino juſſus fuerit, liberum ei ſit &c.* Hinc nata, & in praxi ſæpe mota eſt Quæſtio: *An beneficium emigrationis, ſubditis* hîc conceſſum, reſpectu ipſorum, *ſit voluntatis, an neceſſitatis?* h. e. an *ſubditis*, diverſam à *Territorii Domino religionem* profitentibus, cujus *exercitium* Anno 1624. non habuerunt, liberum ſit, ſive manere, ſive *emigrationis beneficio* uti, an verò ad juſſum *Domini Territorii emigrare* cogantur? *Territoriorum Domini* acerbiorem ut plurimum ſolent facere *interpretationem*, ita, ut *ſubditos* etiam invitos ad *emigrationem* compellant.

Quia autem, quæ pro utilitate hominum introducta & indulta ſunt, potius extenſivam, quàm reſtrictivam interpretationem requirunt *l. 25. ff. de legib. & l. 3. ff. de Conſtit. Princip.* alii in

mitiorem ſententiam inclinantes, locum ex *Inſtrumento Pacis* allegatum ita explicant, quod tum demum *ſubditi emigrare à Domino Territorii* juberi poſſint, ſi quietè & tranquillè non vixerint, vel delictum aliquod commiſerint, propter quod emigrare teneantur, & exilio multari poſſint. Confirmare dicunt hanc explicationem diſpoſitionem paragraphi præcedentis 33. ibi: *Patienter tolerentur, & conſcientiâ liberâ domi devotioni ſuæ, ſine inquiſitione aut turbatione, privatim vacare, in viciniâ verò, ubi & quoties voluerint, publico Religionis exercitio intereſſe, &c. non prohibeantur.* Secundum expoſitionem rigidiorem, quod in hoc *paragrapho* 33. *ſubditis* unâ manu datum eſſet, in §. ſeq. 35. alterâ manu ipſis eriperetur. Junguntur *R. I. Auguſtanus* de Anno 1530. §. Und nachdem Wir 60. ibi: einen freyen Ab- und Anzug & *R. I. Auguſtanus* de Anno 1555. §. Wo aber unſere 24. in verbis: an andere Orthe ziehen/ und ſich nieder thun wolten/ rc.

Sed

Sed nec hæc explicatio dubio caret. Illi enim objici poteſt (1.) verba *Art.* 5. §.35. aut à *Territorii Domino juſſus fuerit:* eſſe generalia, & ſi ſummi paciſcentes talem reſtrictionem, qualis paulò ante allata eſt, in mente habuiſſent, eam procul dubio expreſſiſſent. (2.) Non ſtatim propter qualecunque delictum *ſubditos* exilio multari poſſe. (3.) Huic explicationi repugnare Art. 5. §. *conventum autem* 37. ubi expreſsè habetur, quod *aliqui voluntariè emigrent, alii coactè, & quod utrisque certus terminus trium vel quinque annorum concedi, & honeſtæ vitæ teſtimonia denegari non debeant.* Jam, ſi illi, qui coactè emigrant, *tranquillè non vixerunt*, aut *delictum commiſerunt*, quomodo ejusmodi relegatis tam laxus *terminus ad emigrandum concedi*, aut *teſtimonia honeſtæ vitæ* dari poſſent? Ex quibus porrò ſequitur, *eſſe quosdam, qui ob diverſitatem religionis inviti cogi poſſint ad emigrandum, quibus certus termi-*

nus ad emigrandum concedi & teſtimonia honeſtæ vitæ denegari non debeant. Quid ergo, ſi aliter atque ita diſtingvamus? Aut aliqui noviter recipi volunt in Rempubl. ubi diverſa & quidem ſola viget *Religio*. Hos ſi admiſerit *Dominus Territorialis*, & neſciverit, illos eſſe diverſæ *religionis*, jubere poteſt, ut inviti iterum exeant. Sicuti enim *Dominus Territorialis* invitus non tenetur alios diverſæ *religionis* recipere in *territorium* ſuum, ubi una tantùm viget *Religio*, ita, ſi citra ſuam ſcientiam irrepſerint, invitus tolerare non eſt obſtrictus. Aut aliqui jamjam ab Anno 1624. fuerunt in *territorio*, ſed absque *religionis* ſuæ ſive publico ſi ve privato exercitio, aut, quod eôdem recidit, nati ſunt ex talibus, qui ab Anno 1624. in Republ. habitârunt. De utrisque dici poteſt ex *Art. 5. §. 34. quod inviti cogi ad emigrationem non debeant.* Aut aliqui poſt publicatam pacem religionem mutant, ita ut diverſam aſſu-

ſumant ab eâ, quæ in totâ Rep. obtinet. De his in *Art.* 5. §. 36. dici videtur, quod à *Domino Territorii juberi poſſint, ut inviti exeant,* ita tamen, ut, quamdiu talibus *emigratio* injuncta non eſt, juxta diſpoſitionem §. 34. *tolerari debeant*, nec injuria ipſis propter *Religionem* inferatur, ſed habeant *conſcientiæ libertatem*, & liberos aliò mittere poſſint. Si enim mentem & intentionem *ſummorum paciſcentium* reſpicimus, ſemper major apud ipſos videtur favor fuiſſe eorum, qui ab Anno 1624. diverſam profeſſi ſunt à *Territorii Domino religionem*, & ex his natorum, quàm illorum, qui noviter poſt pacem publicatam religionem mutarunt.

An ejusmodi Subditus etiam privatum religionis ſuæ exercitium, quod forte in viciniâ habetur, frequetare poſſit) Hîc *Autor* iterum favorem *libertatis religionis* reſtringit, cum tamen ampliari potius deberet. Nam cui conceditur id, quod majus eſt, *frequentatio exercitii*

religionis ſuæ publici in viciniâ, cur ipſi adimeretur id, quod eſt minus, *frequentatio exercitii privati extra territorium Principis?* Inprimis cum illa proſit ſaltem *ſubdito* miſero, noceat autem nemini.

XII.

An quilibet ob Religionis diverſitatem à Territorii Domino ad emigrandum, cogi poſſit? Reſp. *quod non.* m.

M. SUnt enim horum duo tantùm genera, *Alii* de quibus in præc. Q. modò dictum eſt, *Alii, qui poſt pacem publicatam Religionem ſuam mutarunt. Art.* 5. *verſ. quod ſi verò: & verſ. conventum autem.* Nam ſupra Q. 10. vidimus, *Eos qui Religionis ſuæ exercitium ſive publicum ſive privatum Anno*

no 1624. quâcunque anni parte habuerunt, & in eodem perſiſtere cogitant, *ad emigrandum cogi non poſſe*, ſed in eodem *à Territorii* Domino imperturbatos omninò relinquendos eſſe.

Notabilis autem eſt, ratione termini ad emigrandum præfigendi, differentia. *Illis* enim, de quibus jam dicta Q. 11. loquitur, *non minor quinquennio, iis verò, qui poſt pacem publicatam Religionem ſuam mutârunt, non minor triennio conſtituendus erit. loc.* cit. quibus elapſis, ſi necdum migrare voluerint, ad frequentanda illius loci divina non immeritò adigi poterunt.

Neque verò hujusmodi ſive voluntariè, ſive coactè emigrantibus, *Nativitatis, Ingenuitatis, Manumiſſionis, Noti opificii, honeſtæque vitæ teſtimonia* denegentur, aut iidem *Reverſalibus*

inuſitatis, vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ, plus æquo extenſis, prægraventur, multò minus ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem, ſervitutis, aut ullo alio prætextu, impedimentum inferatur. *loc. cit.*

Patet ex hoc illius dubii reſolutio, quod in Compoſ. Pacis, Anno 1629. *Dilingæ* edita. Quæſt. 33. movetur. Nimir. quid ſentiendum ſit de *Mancipiis, vulgò*, Leibeigenen/ Num & hi jus migrandi habeant, ſi *Religioni*, cui eorum Dominus adhæret, ſe conrfomare nolint? Cùm enim *Inſtrumentum Pacis* hîc inter perſonarum ſtatus non diſtingvat, nec nos diſtingere debemus, ſed pacem *Religionis* §. 100 aber in *Append. lit.* i. *in lat. verſ. n. 10.* quoad hoc declarari, non immeritò quis dixerit. Licet ea in cæteris, ubi ſtatuit, daß ratione

tione Eines zimllichen billigen Abtrags der Leibeigenſchafft/ und Nachſteur (de quo Schwanman. in ſuo Compend. Juris emigrat.) der Obrigkeit nichts ab-gebrochen/ oder benommen ſeyn ſolle/ in vigore ſuo integra maneat.

NOTÆ.

Quæ *Autor* hâc *Quæſtione* tractat, non aliis annotationibus indigent, quàm iis, quæ jamtum ad *Quæſtionem* præced. 11. nec non ad *Quæſt.* 9 factæ ſunt. Salutariter ſc. pro *ſubditis* diverſæ à *Territoriorum Dominis religioni* addictis, hæc introducta ſunt, quorum tamen ut plurimùm, odio & potentiâ adverſariorum, participes fieri non poſſunt.

XIII.

An Feudi Dominus, vigore directi Dominii, Religionis ſuæ exercitium in illud

introducere poſſit? Reſp. quod non. Art. 5. §. 14. verſ. à ſolâ qualitate. *n.*

N. *Jus enim reformandi à ſolâ qualitate feudali non dependet*, adeoque omnia in eo ſtatu, in quo Anno 1624. fuerunt, relinquenda ſunt, quemadmodum *nec ſola criminalis*, in loco aliquo competens, *jurisdictio* (vulgò) Centgericht / *nec ſolum jus gladii, Retentionis, Patronatus, aut Filiationis*, ſive conjunctim ſive diviſim ſumantur, *reformandi poteſtatem tribuunt, loc. cit.*

NOTÆ.

Nihil etiam hîc monendum, præterquam, quod textus ab *Autore* allegati ſint *Art.* 5. §. 41. & 43.

XIV.

…ominus directus (intel-

lige

lige reſpectu des Pfand-Herrens) *in terras antehàc oppignoratas, & demum ad ſe reverſas Religionis ſuæ exercitium publicè introducere poſſit? Reſpond. quod* ſic Art. 5. verſ. omnia quoque in fin. *o.*

o. I*Ncolæ* tamen, aut Subditi *migrare, aut ſuam*, quam ſub priori poſſeſſore amplexi fuerunt, *Religionem deſerere non cogentur*, de publico verò Religionis ſuæ exercitio, inter ipſos, & reluentem Dominum directum, transigendum foret. *loc. cit. ex quo*

Patet 1. quod ſi *feudum* vel ex *caducitate*, vel ex *feloniâ*, vel alio quo-

cunque modo, ad Dominum directum redierit, idem definiendum eſſe. Ita ſc. ut *Primò* illorum, qui Anno 1624. in publico vel privatô Religionis ſuæ exercitiô fuerunt, *Secundò* eorum, qui nullâ Anni 1624. parte exercitium aliquod habuerunt, & ex his *Tertiò*, eorum, qui ex poſt-facto & publicatâ jam pace Religionem mutârunt, accurata ratio habenda, & reſpectu illorum ſecundum *Quæſt.* 10. iſtorum, ſecundum *Quæſt.* 11. horum verò, ſecundum *Quæſt.* 12. (niſi inter Dominum & ejusmodi Subditos mutuò conſenſu aliter conventum fuerit) procedendum ſit.

Patet 2. *inter Dominum, ejusque Subditos de Religione, ejusque exercitio ſive publico, ſive privato, aliter atq; aliter inſtituendo, mutuo conſenſu conveniri,*

nire, ideoque Inſtrumento pacis quadantenus derogari *poſſe*, cùm diſpoſitio Inſtrumenti pacis circa *Religionis* exercitium dicti Anni 1624. in favorem potius Subditorum directa ſit, & *quilibet favori pro ſe introducto renunciare*, & aliud, cum Superioris ſui conſenſu, ſtatuere *poſſit. Art.* 5. §. 12. prout diverſis præjudiciis in continenti probari poſſet, ſi vel dubium foret, vel neceſſitas exigeret.

NOTÆ.

Art. 5. verſ. Omnia quoque in fine) Textus hic allegati ſunt ex Art. 5. § 25. in fine & §. 26.

Patet 2. inter Dominum, ejusq; Subditos de religione ejusque exercitio ſive publico ſ. privato, aliter atque aliter inſtituendo mutuo conſenſu conveniri, ideoque Inſtrumento Pacis quadantenus derogari poſſe) De *religione* ejusque exercitio inter *Dominum territorialem* ejusque *ſubditos*

ditos aliter atque aliter inſtituendo mutuo conſenſu conveniri poſſe, patet non tantùm ex textibus ab *Autore* paulò ante allegatis, ſed etiam ex §. *hoc tamen non obſtante* 30. circa finem & §. pacta autem 32. *Art.* 5. & §. *Unanimi* 1. *Art.* 7. dicti *Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Svecici.* Quia autem conventiones & transactiones liberum utriusq; partis conſenſum requirunt, adeoque illis, ſecundum principia juris naturæ, gentium & civilis, *doli, fraudulentæ perſvaſionis, vis majoris, metus*, aliæve ſimiles *exceptiones* opponi poſſint, per ea, quæ tradunt *Legislatores* & *Jureconſulti* ad tit. ff. & C. *quod metus causâ, de dolo malo, & de doli mali & metus exceptione,* dubium etiam non eſt, quin *Subditi*, qui technis, minis, vel apertâ vi *Domini Territorialis*, ejusve miniſtrorum aut aliorum *religioni* ipſorum adverſantium, ad tales conventiones aut transactiones adacti ſunt, ut de *libertate exercitii religionis* ſuæ ſecundum obſervantiam

vantiam

vantiam Anni 1624. aliquid remitterent, his quoque remediis uti poſſint. Præſumtio certè hoc caſu ſemper eſt pro *ſubditis* contra *Dominum Territorialem*, propter odium innatum quaſi contra religionem à ſuâ diverſam, quod ſcilicet illi hoc fecerint ex *metu vis majoris*, & ſic remedio *reſtitutionis*, ſi ad illud provocent, juvandi ſunt. Quod tantò magis obtinet, ſi aliqui tantùm *ſubditi*, licet plurimi, *non* tamen *omnes*, juri ejusmodi circa *religionem* aut ſacra renunciaverint, quod enim *omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, l. 39. ff. *de Adopt.* l. 31. ff. *de judic.* l. 11. ff. *de ſervit. præd. ruſt.* l. 8. & l. 10. pr. ff. *de aquâ & aquæ pluv. arc.* l. 5. in fine C. *de auth. præſt.* l. 4. C. *de Servit.* C. *quod omnes* 29. *de R. I. in 6.to* nec major numerus minori in rebus *religionem* & conſcientiam concernentibus præjudicare poteſt, per ea, quæ traduntur in *Inſtrumento Pacis* Art. 5. §. 9. & 51. Nec etiam Succeſſores ſubditorum obligantur re-

nun-

nunciatione ab anteceſſoribus eorum factâ, eorum beneficiorum, quæ ipſis in *favorem religionis* ex *lege* & *ſanctione publicâ*, non ex *ſucceſſione defunctorum* competunt *Arg. 2. F. 45.* & eorum, quæ *Feudiſtæ* in *ſucceſſione Feudali* de *obligatione ſucceſſorum Feudi* tradunt. Si verò *Dominus Territorialis ſubditis* ſuis plus conceſſerit, quàm ad quod ex *Inſtrumento Pacis* obligatus fuiſſet, illud omninò ipſe & ſucceſſores ejus ſervare tenentur, cum rationes pro *ſubditis* adductæ hîc planè ceſſent. Nam, ſi aliis *Sectariis* v. g. *Judæis* fides ſemel data ſervanda eſt, quod ſupra ad *Quæſt. 6.* probatum dedimus, quidni idem obtineat in Sectatoribus trium in *Imperio* receptarum *religionum*? Certum etiam eſt, *Inſtrumentum Pacis his*, quæ de conventionibus inter *Dominum Territorialem* ejusq; *Subditos* de *religione* ejusque exercitio diſponit, non tam *Dominis*, quàm *Subditis* conſulere voluiſſe, præprimis verò, ut, quod hi ante illam

ſanctio-

ſanctionem publicam à *Dominis* ſuis per conventiones aut transactiones obtinuerunt, id illis, prætextu legis hujus novæ, auferri iterum non debeat, non autem, ut *Domini Subditos* novis conventionibus & transactionibus jure per longam poſſeſſionem, præcipuè ab Anno 1624. & ultrà quæſito, & per *Inſtrumentum Pacis*, uſque ad compoſitionem religionis, aut eâ non eveniente, in perpetuum, confirmato, in totum vel pro parte iterum exuerent.

XV.

Quid ſi inter duos diverſarum Religionum Dominos de Jure Territorii ac Superioritatis controverſia ſit, An ambo publica Religionum ſuarum exercitia intro-

trodu-

religionis ſuæ publici in viciniâ, cur ipſi adimeretur id, quod eſt minus, *frequentatio exercitii privati extra territorium Principis?* Inprimis cum illa proſit ſaltem *ſubdito* miſero, noceat autem nemini.

XII.

An quilibet ob Religionis diverſitatem à Territorii Domino ad emigrandum cogi poſſit? Reſp. *quod non.* m.

M. SUnt enim horum duo tantùm genera, *Alii* de quibus in præc. Q. modò dictum eſt, *Alii, qui poſt pacem publicatam Religionem ſuam mutarunt. Art. 5. verſ. quod ſi verò: & verſ. conventum autem.* Nam ſupra Q. 10. vidimus, *Eos qui Religionis ſuæ exercitium ſive publicum ſive privatum Anno*

no

no 1624. quâcunque anni parte habuerunt, & in eodem perſiſtere cogitant, *ad emigrandum cogi non poſſe*, ſed in eodem *à Territorii* Domino imperturbatos omninò relinquendos eſſe.

Notabilis autem eſt, ratione termini ad emigrandum præfigendi, differentia. *Illis* enim, de quibus jam dicta Q. 11. loquitur, *non minor quinquennio, iis verò, qui poſt pacem publicatam Religionem ſuam mutârunt, non minor triennio conſtituendus erit. loc. cit.* quibus elapſis, ſi necdum migrare voluerint, ad frequentanda illius loci divina non immeritò adigi poterunt.

Neque verò hujusmodi ſive voluntariè, ſive coactè emigrantibus, *Nativitatis, Ingenuitatis, Manumiſſionis, Noti opificii, honeſtæque vitæ teſtimonia* denegentur, aut iidem *Reverſalibus*

inuſitatis, vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ, plus æquo extenſis, prægraventur, multò minus ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem, ſervitutis, aut ullo alio prætextu, impedimentum inferatur. *loc. cit.*

Patet ex hoc illius dubii reſolutio, quod in Compoſ. Pacis, Anno 1629. *Dilingæ* edita. Quæſt. 33. movetur. Nimir. quid ſentiendum ſit de *Mancipiis*, *vulgò*, **Leibeigenen/** Num & hi jus migrandi habeant, ſi *Religioni*, cui eorum Dominus adhæret, ſe conrfomare nolint? Cùm enim *Inſtrumentum Pacis* hîc inter perſonarum ſtatus non diſtingvat, nec nos diſtingere debemus, ſed pacem *Religionis* §. 100. **aber** in *Append. lit.* i. *in lat. verſ. n.* 10. quoad hoc declarari, non immeritò quis dixerit. Licet ea in cæteris, ubi ſtatuit, **daß** ratione

tione Eines zimlichen billigen Abtrags der Leibeigenſchafft/ und Nachſteur (de quo Schwanman. in ſuo Compend. Juris emigrat.) der Obrigkeit nichts abgebrochen/ oder benommen ſeyn ſolle/in vigore ſuo integra maneat.

NOTÆ.

Quæ *Autor* hâc *Quæſtione* tractat, non aliis annotationibus indigent, quàm iis, quæ jamtum ad *Quæſtionem* præced. 11. nec non ad *Quæſt.* 9 factæ ſunt. Salutariter ſc. pro *ſubditis* diverſæ à *Territoriorum Dominis religioni* addictis, hæc introducta ſunt, quorum tamen ut plurimùm, odio & potentiâ adverſariorum, participes fieri non poſſunt.

XIII.

An Feudi Dominus, vigore directi Dominii, Religionis ſuæ exercitium in illud

introducere poſſit? Reſp. quod non. Art. 5. §. 14. verſ. à ſolâ qualitate. *n.*

N. *Jus enim reformandi à ſolâ qualitate feudali non dependet*, adeoque omnia in eo ſtatu, in quo Anno 1624. fuerunt, relinquenda ſunt, quemadmodum *nec ſola criminalis*, in loco aliquo competens, *jurisdictio* (vulgò) Centgericht / *nec ſolum jus gladii, Retentionis, Patronatus, aut Filiationis*, ſive conjunctim ſive diviſim ſumantur, *reformandi poteſtatem tribuunt, loc. cit.*

NOTÆ.

Nihil etiam hîc monendum, præterquam, quod textus ab *Autore* allegati ſint *Art.* 5. §. 41. & 43.

XIV.

An Dominus directus (intel-

lige

lige reſpectu des Pfand-Herrens) *in terras antehàc oppignoratas, & demum ad ſe reverſas Religionis ſuæ exercitium publicè introducere poſſit? Reſpond. quod* ſic Art. 5. verſ. omnia quoque in fin. *o.*

o. I*Ncolæ* tamen, aut Subditi *migrare, aut ſuam*, quam ſub priori poſſeſſore amplexi fuerunt, *Religionem deſerere non cogentur*, de publico verò Religionis ſuæ exercitio, inter ipſos, & reluentem Dominum directum, transigendum foret. *loc. cit. ex quo*

Patet 1. quod ſi *feudum* vel ex *caducitate*, vel ex *feloniá*, vel alio quo-

cunque modo, ad Dominum directum redierit, idem definiendum eſſe. Ita ſc. ut *Primò* illorum, qui Anno 1624. in publico vel privatô Religionis ſuæ exercitiô fuerunt, *Secundò* eorum, qui nullâ Anni 1624. parte exercitium aliquod habuerunt, & ex his *Tertiò*, eorum, qui ex poſtfacto & publicatâ jam pace Religionem mutârunt, accurata ratio habenda, & reſpectu illorum ſecundum *Quæſt. 10.* iſtorum, ſecundum *Quæſt. 11.* horum verò, ſecundum *Quæſt. 12.* (niſi inter Dominum & ejusmodi Subditos mutuò conſenſu aliter conventum fuerit) procedendum ſit.

Patet 2. inter Dominum, ejusque Subditos de Religione, ejusque exercitio ſive publico, ſive privato, aliter atq; aliter inſtituendo, mutuo conſenſu conveniri,

nîri, ideoque Inſtrumento pacis quadantenus derogari *poſſe*, cùm diſpoſitio Inſtrumenti pacis circa *Religionis* exercitium dicti Anni 1624. in favorem potius Subditorum directa ſit, & *quilibet favori pro ſe introducto renunciare*, & aliud, cum Superioris ſui conſenſu, ſtatuere *poſſit*. *Art*. 5. §. 12. prout diverſis præjudiciis in continenti probari poſſet, ſi vel dubium foret, vel neceſſitas exigeret.

NOTÆ.

Art. 5. *verſ. Omnia quoque in fine*) Textus hic allegati ſunt ex Art. 5. § 25. in fine & §. 26.

Patet 2. *inter Dominum, ejusq; Subditos de religione ejusque exercitio ſive publico ſ. privato aliter atque aliter inſtituendo mutuo conſenſu conveniri, ideoque Inſtrumento Pacis quadantenus derogari poſſe*) De *religione* ejusque exercitio inter *Dominum territorialem* ejusque *ſub-*

ditos aliter atque aliter inſtituendo mutuo conſenſu conveniri poſſe, patet non tantùm ex textibus ab *Autore* paulò ante allegatis, ſed etiam ex §. *hoc tamen non obſtante* 30. circa finem & §. pacta autem 32. *Art.* 5. & §. *Unanimi* 1. *Art.* 7. dicti *Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Svecici.* Quia autem conventiones & transactiones liberum utriusq; partis conſenſum requirunt, adeoque illis, ſecundum principia juris naturæ, gentium & civilis, *doli, fraudulentæ perſvaſionis, vis majoris, metus*, aliæve ſimiles *exceptiones* opponi poſſint, per ea, quæ tradunt *Legislatores* & *Jureconſulti* ad tit. ff. & C. *quod metus causâ*, *de dolo malo*, *& de doli mali & metus exceptione*, dubium etiam non eſt, quin *Subditi*, qui technis, minis, vel apertâ vi *Domini Territorialis*, ejusve miniſtrorum aut aliorum *religioni* ipſorum adverſantium, ad tales conventiones aut transactiones adacti ſunt, ut de *libertate exercitii religionis* ſuæ ſecundum obſer-

vantiam

vantiam Anni 1624. aliquid remitterent, his quoque remediis uti poſſint. Præſumtio certè hoc caſu ſemper eſt pro *ſubditis* contra *Dominum Territorialem*, propter odium innatum quaſi contra religionem à ſuâ diverſam, quod ſcilicet illi hoc fecerint ex *metu vis majoris*, & ſic remedio *reſtitutionis*, ſi ad illud provocent, juvandi ſunt. Quod tantò magis obtinet, ſi aliqui tantùm *ſubditi*, licet plurimi, *non* tamen *omnes*, juri ejusmodi circa *religionem* aut ſacra renunciaverint, quod enim *omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, l. 39. ff. *de Adopt.* l. 31. ff. *de judic.* l. 11. ff. *de ſervit. præd. ruſt.* l. 8. & l. 10. pr. ff. *de aquâ & aquæ pluv. arc.* l. 5. in fine C. *de auth. præſt.* l. 4. c. *de Servit.* C. *quod omnes* 29. *de R. I. in 6.to* nec major numerus minori in rebus *religionem* & conſcientiam concernentibus præjudicare poteſt, per ea, quæ traduntur in *Inſtrumento Pacis* Art. 5. §. 9. & 51. Nec etiam Succeſſores ſubditorum obligantur renun-

nunciatione ab anteceſſoribus eorum factâ, eorum beneficiorum, quæ ipſis in *favorem religionis* ex *lege* & *ſanctione publicâ*, non ex *ſucceſſione defunctorum* competunt *Arg.* 2. *F.* 45. & eorum, quæ *Feudiſtæ* in *ſucceſſione Feudali* de *obligatione ſucceſſorum Feudi* tradunt. Si verò *Dominus Territorialis ſubditis* ſuis plus conceſſerit, quàm ad quod ex *Inſtrumento Pacis* obligatus fuiſſet, illud omninò ipſe & ſucceſſores ejus ſervare tenentur, cum rationes pro *ſubditis* adductæ hîc planè ceſſent. Nam, ſi aliis *Sectariis* v.g. *Judæis* fides ſemel data ſervanda eſt, quod ſupra ad *Quæſt.* 6. probatum dedimus, quidni idem obtineat in Sectatoribus trium in *Imperio* receptarum *religionum*? Certum etiam eſt, *Inſtrumentum Pacis* his, quæ de conventionibus inter *Dominum Territorialem* ejusq; *Subditos* de *religione* ejusque exercitio diſponit, non tam *Dominis*, quàm *Subditis* conſulere voluiſſe, præprimis verò, ut, quod hi ante illam

ſanctio-

ſanctionem publicam à *Dominis* ſuis per conventiones aut transactiones obtinuerunt, id illis, prætextu legis hujus novæ, auferri iterum non debeat, non autem, ut *Domini Subditos* novis conventionibus & transactionibus jure per longam poſſeſſionem, præcipuè ab Anno 1624. & ultrà quæſito, & per *Inſtrumentum Pacis*, uſque ad compoſitionem religionis, aut eâ non eveniente, in perpetuum, confirmato, in totum vel pro parte iterum exuerent.

XV.

Quid ſi inter duos diverſarum Religionum Dominos de Jure Territorii ac Superioritatis controverſia ſit, An ambo publica Religionum ſuarum exercitia introdu-

troducere poſſint? Reſpon. *quod non.* cit. §. 14. verſ. Territorii. *p.*

P. SEd unus; *isq; tantum, qui in ejusdem publici exercitii poſſeſſione vel quaſi 1. Jan. 1624. fuit.* Et hoc caſu Dominorum alter *privato Religionis ſuæ exercitio*, ad modum ſupra in Q. 9. explanatum, contentus eſſe debebit, donec ſuper *poſſeſſorio* & *petitorio* deciſum fuerit, non obſtante, unde, aut quando orta fuerit controverſia. *loc. cit.*

NOTÆ.

Cit. §. 14. verſ. territorii) Eſt *Art.* 5. §. 42. Cum Dn. *Autor* hæc ſcriberet, quæſtio hæc adhuc utilitatatem aliquâm habere potuit, hodie verò, poſt quadraginta annorum ſpatium, à tempore concluſæ *Pacis Weſtphalicæ*, elapſum, Quæſtionis hujus vix uſum aliquem

quem adhuc ſupereſſe puto, niſi forte ante illud tempus lis fuerit cæpta, & interea nondum finita.

XVI.

Quid ſi duo diverſarum Religionum, uniꝰ tamen Territorii, ex æquo Domini ſint, an hoc caſu quilibet publicum Religionis ſuæ exercitium ibidem inſtituere poſſit? Reſp. *quod non.* cit. §. 14. verſ. in iis locis. *q.*

Q. INtelligas autem, hoc procedere *caſu, quo unus tantùm illorum 1. Januar. An. 1624. in poſſeſſione vel quaſi publici exercitii Religionis ſuæ fuerit, talis* enim idemque prorſus *ſtatus, ratione*

tione Religionis, manere debet, loc. cit. Alteri non niſi Religionis ſuæ *exercitio privato* conceſſo.

Aliàs enim, ſi quilibet memorato An. licet in diverſis ejusdem menſibus, *publicum Religionis ſuæ exercitium habuiſſet*, ſine dubio etiam *affirmativè reſpondendum* foret. Confer hûc. Q. 10. & ratio reſponſionis apparebit.

NB. *Etſi* verò ad propoſitam quæſtionem Inſtrumentum pacis. *loc. cit.* eô, quô jam dixi, modo, diſponere videatur, ſcio tamen, hanc eandem inter alias deſignatas materias Imp. Statibus Ratisbonæ, 29. Julii anno nuper elapſo 1653. ad ulteriorem deliberationem per dictaturam eſſe communicatam, à quibus igitur ultimata deciſio meritò expectatur.

Quantum ſuſpicari licet, non exiguam ulterioris hujus deliberationis anſam

anſam dat textus *in art. 5. §. 2. v. terminus autem.* ubi ita dicitur. *Terminus autem Anni 1624. nullum præjudicium creare debet iis, qui ex capite Amneſtiæ, aut aliunde, reſtituendi veniunt.*

Quid, ſi nunc *Condominorum* unus, occaſione fortè belli, toto tempore, & anno illo abſens, & ex capite *Amneſtiæ* rediens, unà cùm *Condomino* (qui Anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi exercitii publici *Religionis* ſuæ ibidem manſit) & ſuam publicè exercere voluerit? Si huic annueris, jam limitanda erit ad hunc textum Inſtrumenti pacis in reſponſione allegata diſpoſitio. Si denegaveris, textus hic carebit effectu, niſi eum fruſtra inſertum dixeris. Tutiùs igitur erit, Statuum reſolutionem deſuper expectare. Similes caſus ferè dubii, quorum deciſionem Comitia da-

dabunt, ſequenti quæſt. annectentur.

NOTÆ.

Cit. §. 14. verſ. in iis locis) dicto Art. 5. §. 42. circa finem,

29. Julii anno nuper elapſo 1653. ad ulteriorem deliberationem per dictaturam eſſe communicatam) Quo fine hoc factum ſit, ſagaciores odorari facilè poſſunt. Sed ſi hic modus procedit, *Status Romano-Catholici* compendioſâ viâ omnia in *Inſtrumento Pacis* in favorem *Subditorum* ſuorum *Auguſtanæ Confeſſioni* addictorum ſatis clarè poſita, dubia reddent, & interim, uſque ad deciſionem ulteriorẽ, quam tergiverſationibus ſuis protrahere in infinitum facile itidem poſſunt, interpretationem pro ſe, & in odium miſerorum *Subditorum*, facient.

Textus in Art. 5. §. 2. verſ. terminus autem) Eſt Art. 5. §. 13.

Quid, ſi nunc Condominorum unus, occaſione forte belli toto tempore & anno il-

lo

lo abſens, & ex capite Amneſtiæ rediens unà cum Condomino, qui Anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi exercitii publici Religionis ſuæ ibidem manſit, & ſuam publicè exercere voluerit?) Caſus hic ſingularis ex Textibus *Inſtrumenti Pacis* allegatis affirmativè decidi poteſt, ut deciſionem ad alios caſus diſſimiles extendere non ſit neceſſe. In textu nempe priori Art. 5. §. 42. habetur *Regula: In iis locis, ubi Catholici* & *A. C. Status ex æquo jure Superioritatis fruuntur, tàm ratione publici exercitii, quàm aliarum rerum, religionem concernentium, idem Status maneat, qui fuit Anno 1624.* In textu verò poſteriori d. Art. 5. §. 13. habetur *exceptio, niſi ex Condominis unus ex capite Amneſtiæ aut aliunde reſtituendus veniat.* Jam autem exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Ubi nempe *Condominus* Anno 1624. in poſſeſſione quidem vel quaſi *Condominii in ſecularibus* fuit, nec *ex capite Amneſtiæ aut aliunde reſtituendus venit*, aut reſti-

tutus

tutus eſt, alter verò eô anno in *exercitio religionis ſuæ* ſolus fuit, ibi is, qui Anno 1624 *exercitium* ſuæ *religionis* non habuit, illud propter ſolum *Condominium juris territorialis*, de novo introducere non poteſt, aliâs enim ratione *publici exercitii* & aliarum rerum *religionem* concernentium, non maneret *idem Status, qui fuit Anno 1624.* Nec hoc *condominio territorii* & inde reſultanti *juri reformandi* quicquam derogat. Nam ut ſupra ad *Quæſt 9.p.90. Autor* noſter ipſe faſſus eſt, per ejusmodi reſtrictiones, quibus *Status religione diſſidentes* in favorem *Subditorum* ſuorum eorumque *conſcientiæ libertatis*, pacis conſervandæ & crebræ *religionum* mutationis vitandæ causâ, per Pactâ publica ſe invicem obſtrinxerunt, *jus* ipſum *reformandi* ipſis non ademtum, ſed potius confirmatum eſt. Opinio verò diſſentientium non poteſt non *Statum religionis*, & conſequenter etiã politicum, inter *Condominos* eorumque *ſubditos*, identidem turbare.

XVII.

XVII.

An liberis Imperii Civitatibus, tàm ratione juris reformandi, quàm aliorum caſuum, Religionem concernentium, idē cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus, jus competat? Reſp. quod ſic. Art. 5. §. 11. v. liberæ. *r.*

R. Q*Vod* non tantùm reſpectu Civium intra muros & ſuburbia, ſed etiam quoad ſubditos in territoriis ſuis, intelligendum eſt. Ita tamen, ut (ſive unica tantùm, ſive plures Religiones An. 1624. in ejusmodi civitatibus viguerint) *omnes Eccleſiæ Collegiatæ, Capitula, Monaſteria, Cænobia in iis ſita* (ſint immediatè, vel mediatè Imperio ſubjecta) *in eodem prorſus ſtatu*

cum Clero, & civibus Catholicis ibidem exiſtentibus, tam activè, quàm paſſivè relinquendis, qui fuit 1. Jan. 1624. deinceps quoque manere, & Neutra partium alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis deturbare, ſed potius pacificè & comiter invicem cohabitare, liberumque Religionis ſuæ & bonorum uſum habere *debeant. loc. cit.*

Nullus etiam, *ob diverſam Religionem ſuam, deſpicatui habendus, nec à Mercatorum, Opificum, aut Tribuum communione, aut alio officio publico, hæreditatibus, Legatis, Hoſpitalibus, Leproſoriis, Eleemoſynis, aliisque juribus, aut commerciis, multò minus publicis Cœmiteriis, honoreve ſepulturæ arcendus erit.*

Nec quicquam *pro exhibitione funeris* à ſuperſtitibus exigendum, præter cujusque parochialis Eccleſiæ jura

pro

pro demortuis pendi ſolita, ſed *in his & ſimilibus pari concives jure tractandi erunt*, æquali juſtitiâ, & protectione tuti, *verſ. placuit porro.*

O quàm conſultum foret, ſi diſpoſitio hæc paulò diligentiùs hodiè obſervaretur! Non eſſent tot *Pupillorum raptus*, non tot *Viduarum anguſtiæ & ſuſpiria*, non tot *deſperationes, & animarum interitus*, non tot *coacta Matrimonia*, non tot *incontinentiæ*, non tot *perſecutiones*, non tot *denegatæ & protractæ Juſtitiæ*, non tanta denique *in imponendis oneribus publicis diſproportio*! de quibus omnibus in Comitiis magnus olim auditus fuit ſtrepitus. Sed tu *DEUS Protector* illorum ſis, & non relinquas eos orphanos, qui ab hominibus derelinquuntur!

Memini, hîc duo in comitiis orta fuiſſe dubia, *Primum, An in Civitatibus*

mixtis, Imperio immediatè ſubjectis (ubi v.g. tota Communitas, comprehenſo *Magiſtratu*, in duas diverſas abit *Religiones*, & quælibet pars A. 1624. in publici *Religionis* ſuæ exercitii poſſeſſione vel quaſi hucuſque fuit) *Utrique liberum ſit, ea, quæ ad augmentum, ornamentum, conſervationem, ſolatium, & neceſſitatem Religionis ſuæ exercitii, inſervire poterunt*, ſive illa conſiſtant in erectione novarum fundationum, *ſacrarum ædium*, *Scholarum*, *Monaſteriorum*, introductione, vel mutatione perſonarum Eccleſiaſticarum, non obſtante, quod ejusmodi dicto *Anno* 1624. 1. Jan. non fuerint, *propriis ſumptibus, ſine diminutione boni publici, deinceps introducere & inſtituere?*

Si conceſſeris, obſtare videtur Inſtrumentum pacis *Art.* 5. §. 9. *& locis huc uſque cit*, ubi *expreſsè diſponitur, quod uni-*

unicum ſolum obſervantiæ futuræ fundamentum eſſe debeat die primâ Januarii Anni 1624. habita poſſeſſio.

Si negaveris, aliam, quàm jam memoratam, negativæ rationem dare non poteris, cûm tamen in propoſito caſu æqualis utriusque partis conditio eſſet, nulli injuria fieret, & quod uni parti juſtum, id & alteri, ſine præjudicio cujusque, juſtum foret.

Secundum dubium Civitates Municipales tangit, & quærit, *An Territorii Domino* (*vulgò* dem Landsfürſten oder Landsherrn/) *liberum, integrumque ſit, ædes illas ſacras* (Templa v. g. Sacella, *aut Monaſteria*) *quas* in civitatibus aut locis ſubjectis *reperit omninò devaſtatas, deſolatas, & pro derelictis quaſi habitas* (quæ tamen ad Magiſtratum loci non, ſed ad ipſum Territorii Dominum, vel eum, cujus Juris-

dictionem in Spiritualibus Eccleſiaſticam Civitas illa agnoſcit, ſpectent) *ſive pro ſe, ſive pro Aulicis ſuis, vel pro aliis ſuæ Religionis ibidem exiſtentibus Civibus & ſubditis præſentibus, & futuris, reparare, & in iis* (maximè cum memoratam Civitatem in ſuo A. 1624 habito *Religionis exercitio* impedire nollet) *Religionis ſuæ exercitium inſtituere*; Imo, ſi ejusmodi devaſtatæ non reperirentur, *An novas omninò eum in finem ibidem ædificare poſſit?*

Memini, rationes pro & contra in Comitiis deſuper fuiſſe allatas (utinam deciſas!) *Pro Domino* indubitanter militat jus territoriale, non tam in jure communi, & pace religioſa, ſed ipſo etiam Inſtrumento pacis Weſtphalicæ (quatenus [NB.] Civitati vel aliis ſibi ſubditis, quoad ſtatum, & exercitium ſuæ Religionis

An.

An. 1624. habitum, non officit) notoriè fundatum, *Art. 5. §. 12. quantum deinde.*

Civitates econtra *Municipales* objiciebant, fore moraliter certum, ut per indirectum ſaltem, quotidianis Concionatorum diſceptationibus, aliisque technis, & exinde perturbatis fidelium animis, in exercitio ſuæ religionis interturbentur, & ut ſic (quod viâ rectâ non licet) Inſtrumento pacis contraveniatur.

Imô, ſi in cujuslibet ſubditorum manipuli gratiam ædiculas ſacras [Sacella] jure territoriali, vel noviter ædificare, vel collapſas reſtaurare licitum foret, tanta Inſtrumenti pacis circa ſtatum anni 24. obſervandum ſollicitudine, tantâ inter exercitium publicum, atque privatum, item inter domeſticã devotionis vacationem

& ad

& ad loca vicina abitum diſtinctione [de quibus ſupra, & infra latius] opus non fuiſſet.

Dubium hoc, quantum ego quidem ſciam, nullo decreto Imperiali deciſum eſt, proinde temerarium foret, privato meo, S.R.I. Statuum deciſionem, judicio prævenire velle, ideo te ad Comitia remitto.

Si viam ignoras, vel ſumptus times, ut *cum Domino tuo deſuper convenias, ſimulque religionis tuæ exercitio quovis meliori modo conſulas*, amicè ſvadeo, prout hactenus pluribus in locis factum eſſe conſtat.

Cæterùm, quatenus Dominus Territorialis Civitati, vel ſubditis ſuis diverſæ Religioni addictis, circa exercitium illius Religionis, circa reditus, & jura eidem annexa, atque An. 1624. ab iis poſſeſſa, nullum prorſus præ-

præjudicium, nullum impedimentum, nullamque diminutionem infert, adeoque nihil ſupereſt, de quo Civitas, vel aliorum locorum ſubditi, eapropter conqueri poſſint, [*reclamante aliàs expreſsè Inſtrumento pacis, ſupra q 10. & aliàs per totum*] etiam *nil impedit, quò minus Dominus in ſuo territorio non tantùm collapſa reſtaurare Monumenta, atque in iis publicum Religionis ſuæ exercitium introducere poſſit.* Exempla ſine contradictione in Imperio proſtant, optimus *Inſtrumenti pacis* interpres.

Sed quid, *ſi Dominus Territorialis noviter ſuſceptam Religionem ſuam, etiam in ipsâ Civitatis ſuæ Baſilicâ, vel alio ejus templo, in quibus diverſæ Religionis exercitium ab Anno 1624. uſque huc privativè viget, publicè exercere voluerit?* Certè, cùm hoc ſine nota-

bili confuſione ac perturbatione ſtatus Religionis, ejusque exercitii de Anno 1624. obſervati, fieri non poſſit, *clariſſima Inſtrumenti pacis verba*. *art*. 5. §. 12. *verſ. Hoc tamen non obſtante, &c. Domino territoriali fortiter obſtabunt*; niſi mutuo placito aliter conveniatur. Confer hîc ea, quæ *ſupra* *Q*. 9. allata ſunt.

Nota hîc, quod omnia hùc uſque in puncto Religionis, ejusque exercitii, de Statibus Imperii ſuperioribus, liberisque Civitatibus dicta, etiam de *Liberâ, & immediatâ Imperii Nobilitate* & ſingulis ejus membris, unà cum ſubditis & bonis feudalibus, & allodialibus, intelligenda ſint, licet aliàs ſub Statuum nomine non veniant.

NOTÆ.

O quam conſultum foret, ſi diſpoſitio hæc paulò diligentiùs hodie obſervaretur) Cum

Cum ergò, *Autore* noſtro ipſo adſtipulante, miſeri *ſubditi* à *Dominis* ſuis, odio religionis eorum, contra hanc diſpoſitionem multis modis vexentur, conſultum ſanè non eſt, frena *Dominis* laxare, & textus *Inſtrumenti Pacis*, in favorem *ſubditorum* poſitos, contra regulas juris, in gratiam & favorem *Dominorum*, iſtorumq; odium, interpretari.

Cum tamen in propoſito caſu æqualis utriusquè partis conditio eſſet) Quid autem, ſi pars altera numero perſonarum, adeoque etiam potentiâ alteri prævaleret, annon affirmativa illa deciſio in detrimentum partis infirmioris, & contemtum oppreſſionemve *religionis* ipſius, vergeret? Tutisſimum ſanè eſt, verbis & menti *Inſtrumenti Pacis* inhærere, nec ſubtilibus ratiociniis, anſam novis motibus & turbis dare.

Pro Domino indubitanter militat jus territoriale) Jus territoriale per limi-

tationes in *Inſtrumento Pacis* poſitas non tolli, ſæpius monitum eſt.

Civitates econtra municipales) *Civitatum municipalium* fundamenta non tantùm ſana ratio, ſed & praxis quotidiana firmat, & cum *Inſtrumentum Pacis* malis ejusmodi avertendis, & miſerorum *ſubditorum religioni* in tuto locandæ, *Statum Anni 1624.* præſidii quaſi loco poſuerit, contrariis diſputationibus & interpretationibus, priſtina mala ſopita reſuſcitare è re *Reipubl.* non eſt.

Ut cum Domino tuo deſuper convenias, ſimulque religionis tuæ exercitio quovis meliori modo conſulas, amicè ſuadeo) Ex iis, quæ ſupra ad *Quæſt. 14.* annotata ſunt, colligi poteſt, quam periculoſum ſit pro *ſubditis*, eos ad conventiones & transactiones novas, ſuper rebus *religionem concernentibus*, cum *Domino* ſuo *territoriali*, à *religione* eorum diſſidente, remittere. Quanto cum damno *ſubditorum* hactenus id aliqui-

liquibus locis factum ſit, conſtat. Per transactiones ſcil. *exercitio religionis publico libero* variæ limitationes & reſtrictiones poni, cum tempore etiam illud ad *exercitium privatum*, hoc vero deinde ad anguſtias *devotionis privatæ* redigi poteſt, donec tandem *ſubditi* ipſi cum *religione emigrare* & exulare cogantur. Magis ſalutare pro *ſubditis* remedium eſt *Imploratio Statuum Imperii ſuæ religionis*, ut authoritatem ſuam apud *Dominum ſuum Territorialem* vel intercedendo interponant, aut cauſam ſuam *Imperatori*, compaciſcenti *Coronæ Sveciæ*, & *Statibus Univerſis* deliberandam ac decidendam proponant. Hi enim demum, ubi ipſius *Inſtrumenti Pacis* diſpoſitio in dubium vocatur, in ejusmodi controverſiis, de *exercitio religionis*, inter *Dominum Territorii* & ejus *Subditos, competentes* ſunt *Judices*, ex diſpoſitione *Inſtrumenti Pacis, Art.* 5. §. *Utriusq; religionis* 49. circa finem.

Nil impedit, quo minus Dominus in

ſuo territorio non tantùm collapſa reſtituere, ſed & nova extruere monumenta, atq; in iis publicum religionis ſuæ exercitium introducere poſſit) Reclamat utique expreſsè *Inſtrumentum Pacis Art.* 5. §. 30. ibi: *retineant id etiam impoſterum, unà cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt.* Involvitque contradictionem in adjecto, *Domino territoriali* novam *exercitii publici* ſuæ *religionis* introductionem in *territorium*, ubi ab Anno 1624. illud non fuit, novorum monumentorum extructionẽ, aut dudum ante annum 1624. collapſorum reſtaurationem, aſſerere, & tamen *ſubditis* diverſæ *religionis* perſvadere velle, quod ea ipſis, circa *exercitium* eorum *religionis*, circa reditus, & jura eidem annexa atque Anno 1624. ab iis poſſeſſa, nullum prorſus præjudicium, nullum impedimentum, nullamve diminutionem illaturum ſit. *Religio* enim *Imperantium, religionem ſubditorum* diverſam juxta ſe, tantum non ſemper, premere, & datâ

occa-

occaſione tandem planè opprimere ſolet. Exempla proſtare in *Imperio*, à *Dominis Territoriorum* contra *ſubditos* ſuos exercitarum turbationum contra *Inſtrumentum Pacis*, facile largior, quod autem *ſubditi* iis non contradixerint, vel probabile non eſt, vel *metu vis majoris* abſterriti ſunt, qui ſanè *malus Interpres* eſt *Inſtrumenti Pacis.*

Certè cum hoc ſine notabili confuſione ac perturbatione Status religionis ejusq; exercitii de Anno 1624. obſervati fieri non poſſit, clariſſima Inſtrumenti Pacis verba Domino territoriali fortiter obſtabunt) Ita eſt. Quidni ergò hæ rationes etiam in caſibus prioribus valerent?

Etiam de liberâ & immediatâ Imperii Nobilitate & ſingulis ejus membris) Per *Art.* 5. §. 27. *Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Svecici*, junctâ *Pace Religionis* in *R. I. Auguſtano* de anno 1555. §. Und in ſolchem Frieden 26. Licet enim votum & ſeſſionem in Comitiis *libera & immediata Imperii Nobilitas* hactenus obtinere non

non potuerit, adeoque *Status* nomine non veniat, tamen, ratione *juris territorialis*, quod in bonis ſuis, ſive feudalibus, ſive allodialibus, immediatè *Imperatori* & *Imperio* ſubjectis, & ab aliorum *Imperii Statuum* Superioritate exemtis, habet, *jus* quoque *Reformandi* illi perinde, atque *Imperii Statibus immediatis*, ſpecialiter conceſſum eſt.

XVIII.

In qvo conſiſtat publicum, & Privatum Religionis exercitium? *Reſp. in ſequentibus*: ſ.

S. SI *publicum* in abſtracto ſumatur, eſt illud primò *Ratione Loci*, quando nim. *in loco publico aliquid fit*, ut ſunt *via Regia*, *Prata publica*, *Theatra*, *item Ædes ſacræ*, *Templa*, *&c.* quæ cum ſint

ſint Univerſitatis, meritò ea, quæ in eis fiunt, *publica* dicuntur. Secundò *ratione USUS*, quando ſc. *ad communem populi uſum*, adeoque *publicis uſibus*, quid eſt deſtinatum.

Si verò ad Religionis exercitium propiùs deſcendamus, debet illud Tertiò *dici* poſſe *publicum* etiam *ratione Authoritatis*, *ut ſc.* ab aliquo, legitimâ authoritate prædito, fiat. *Fides* enim *ex auditu*, ſed *quomodo audient, niſi prædicetur*? *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Roman. 10. 15.*

„ *Quicunque* igitur *Religionis ſuæ per* „*perſonam Eccleſiaſticam* ad hoc (ſuo „modo, ſive, ſecundum cujuslibet „Religionis ſtatuta,) legitimè ordina„tam, *in loco publico, ad communem populi* „*uſum*, exercendæ potens eſt, *Is publi*„*cum Religionis ſuæ exercitium*, *ſeu jus* exercendi, habere dicitur.

Qui-

„ *Quicunque* verò *Religionem ſuam in* „*ædibus aut Reſidentiâ ſuâ, ad ſuam, ſuo-* „*rumque domeſticorum uſum tantum,* „per ejusmodi Eccleſiaſticum, exer- „re tenetur, is non niſi *privatum Reli-* „*gionis ſuæ exercitium* habet, ut ex *Inſt.* „*pacis Q. 9.* dictum eſt.

Ex quo patet 1 *Exercitium Religionis* tàm publicum, quàm privatum *ſine Eccleſiaſtico* ad id ſpecialiter ordinato, abſolutè *nec eſſe*, *nec dici poſſe*. Ideo, quodcunq; ſine tali, ſive orando, ſive legendo, ſive canendo, ſive dicendo, *domi feceris*, *Exercitii Religionis* nomen neutiquam merebitur, ſed tunc *devotioni tuæ privatim domi vacaſſe* diceris, de quo *ſupra Q. 11*, ubi vide.

Patet 2. eos, *qui privato Religionis ſuæ exercitio inſtituendo fruuntur, ſi proprium Parochum* [quod poſſunt] *in ædibus non alant*, tempore *infirmitatis*, *Matri-*

Matrimonii confirmandi &c. *aliunde quempiam ad Reſidentias ſuas vocare poſſe*, & hoc non tantùm per ſe, ſed etiam *pro omnibus, & ſingulis familiæ ſuæ domeſticæ conſortibus.*

Pro exteris verò, aut cæteris ſuis ſubditis, nullatenus licere, ſed his [memoratis jam, aut ſimilibus caſibus emergentibus] ad ea loca, ubi publicum Religionis illius exercitium viget, abeundum, adeoque verum eſſe, quod in Q.11. ad dubium *ſecundum* reſpondimus, cùm *exercitium privatum non niſi domeſticos*, reliquis quibuscunque excluſis, *admittat.*

Memini dubitatum fuisſe: *quinam propriè domeſticorum, ſive familiæ domeſticæ nomine, hîc veniant*, & reſponſum fuit: *Illos qui vel in ipſâ arce, Burgo*, oder ſonſten auf einem freyen Adelichen Hof/ *unà cum Domino ſuo habitant, vel extra*

qui

quidem, ſed nullum ſeparatum focum habent, ſondern welche des Herrn gebrodete Diener/Dienſtbotten und Ehehalten ſeynd / und jhr tägliches Eſſen und Trincken entweder in dem Schloß oder Burg haben / oder doch ſolches von dannen abholen müſſen.

Reliquis officialibus, ſervis, & ſubditis *quibuscunque extra arcem, vel Reſidentiam Domini* [licet in eodem pago, vel civitate] *habitantibus, & proprio lare munitis*, impræſentiarum *pro exteris omninò habendis*, & ſecundum ea tractandis, quæ ſupra *Q. 18. verſ. pro exteris verò*, allata ſunt.

Dices, das iſt wohl genau geſucht! Fateor, neque tamen diſpoſitio hæc ratione ſuâ caret, aliàs enim non ſolum inter perſonas, ſed etiam ipſum *religionis exercitium*, ſive *publicum*, ſive *privatum*, & *privatam devotionem domeſti-*

meſticam, eorumque annexa, ingens oriretur confuſio, quam Status meritò ejusmodi accuratâ diſtinctione evitare voluerunt.

NOTÆ.

Das iſt ja wol genau geſucht! *fateor*) Diſtinctio hæc inter *publicum* & *privatum religionis exercitium* & *devotionem privatam*, *in Inſtrumento Pacis*, pro diverſitate caſuum, ſolicitè adhibita, optimâ ratione nititur. *Deus* equidem in *Novo Teſtamento* cultum ſuum nulli certo loco adſtrinxit, ſed *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Joh. 4. v. 23. & *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine Chriſti, ibi ſe in medio eorum futurum eſſe* promiſit. *Matth.* 18. v. 20. Nemo ergò, qui in *Rep.* toleratur, cum familiâ & domeſticis ſuis à *devotione privatâ*, quam quisque *Deo* ſe probaturam eſſe confidit, arcendus, aut in eâ turbandus eſt. Et hactenus *Religio*, reſpectu hominum inter ſe, eſt *arbi-*

arbitrii privati. *Alios* autem, quam ad familiam ſpectantes, in *religione informare* & *cultum divinum autoritate publicâ dirigere*, jam non ampliùs ad ſingulos aut familias, ſed *ad Remp. pertinet.* Sive igitur *publicè* ſive *privatim* hoc peragere quis velit, *autoritate publicâ civili* munitum illum eſſe oportet, cum *ſummus cujuslibet Reip. Magiſtratus* ſit *cuſtos utriusq; tabulæ Decalogi, Deut.* 17. v. 18. 19. juncto 2. *Reg.* 23. v. 1. & ſeqq. & *nutritius ac defenſor Eccleſiæ, Eſa.* 49. v. 23. Quicunque ergò *ſubditorum*, libertatem *exercitii religionis* ſuæ, ſive *publici* ſive *privati*, ab iis, quibus *Reipubl.* cura commiſſa eſt, per pacta ſive publica ſive privata, aut alios legitimos modos, non impetravit, illâ etiam, utpote ab arbitrio *Imperantium* dependente, propriâ authoritate uti nequit.

XIX.

XIX.

An etiamnum hodie liceat de Religione diſputare? Reſp. quod ſic. t.

T. IDem de ſcribendo, concionando, docendo, conſulendo judicandum eſt: Quomodo enim hoc prohiberi? Quomodo ſine hoc quiſpiam in religione ſuâ (quam unicam credit ſalvificam) inſtrui poſſet? Quicunq; ergo impoſterum religionis ſuæ fundamenta probè deduxerit, vel proximum, piâ cum moderatione, ad orthodoxam fidem converterit, in *Art. 5. §. 17. verſ. Vtriúsq;*, peccaſſe dici non poterit.

Prohibentur enim *loc.* jam *cit. ſolummodo actus illi, qui in Transactionis Paſſavienſis, Pacis religionis, & Inſtrumenti pacis impugnationem directè tendunt,* quod

quod, cùm de *Religione* ſecundum ſe locuti fuerimus, timendum non erit.

Dum verò *text. in loc. cit. ejusmodi contraventiones pacis prohibet,* prohibet ſimul ea omnia edi & promulgari, *quæ in memoratâ transactione Paſſavienſi, & Pace religioſâ non continentur*, ut ſunt: *Papam eſſe Anti-Chriſtum, Papiſtas eſſe Idololatras &c.* omniaq; ea, quæ hodie, tàm indecenter quàm impudenter, contra ſupremas in terris majeſtates humanas, contra omnium Imperii conſtitutionum, imò ipſiusmet Auguſtanæ Confeſſionis, expreſſum tenorem, [*ubi vide*,] typis evulgantur, in memoratâ tamen pace (ſtricti quippe juris) ne verbulo quidem comprehenſa ſunt.

Inanis eſt [loquor cum *Thoma de Kempis* 1, c. 1.] *religionis cuſtodia, ſi ſcommatibus magis, quàm pietati, ſi a-* *cumi-*

cumini potius, quàm veritati, opera detur, cùm timor Domini initium ſapientiæ ſit, & omne acumen, à piâ ſimplicitate disjunctum, meritò hic culpandum veniat.

NOTÆ.

In Art 5. §. 17. verſ. utrinsque) Eſt §. 49. d. *Art.* 5. in *Corpore Receſſuum Imperii.*

Quæ in transactione Paſſavienſi & Pace Religionis non continentur, ut ſunt, Papam eſſe Antichriſtum, Papiſtas eſſe Idololatras) Papiſtas, quoad omnes *fidei Articulos* nobiſcum controverſos, nedum alios, in quibus cum ipſis convenimus, eſſe *Idololatras*, non aſſerunt *Proteſtantes*, licet *invocationem ſanctorum, cultum imaginum,* & *adorationem panis benedicti &c. idololatrica* eſſe, ex *Auguſtanæ Confeſſionis Art.* 21. & 24. & *Papam Romanum Antichriſtum* eſſe, ex ejusdem *Confeſſionis Art.* 23. & 28. facilè probari poſſit. Sed ponamus, neque quoad verba, neque quoad mentem, ejus-

modi quid in *A. C. Transactione Paſſavienſi* & *Pace Religionis* contineri, anne inde ſequitur, doctrinas ejusmodi ibi prohibitas eſſe? Jam ſupra ad *Quæſt.4.* monitum eſt, non minus *Proteſtantes,* quàm *Pontificios*, religionem ſuam, ab alterâ & adversâ parte, his illisve terminis includi nõ paſſuros. Si hi ſibi licere ſputant, *Lutherum* perjurii & ſacrilegii reum agere, noſtros *Sacerdotes* pro talibus non agnoſcere, &, ſub hoc prætextu, eorum *abſolutionem à peccatis, Conſecrationem S. Cœnæ &c.* nulla & irrita declarare, *matrimonia* ipſorũ *ſcortationum* nomine traducere, & alia plura nobis ingratiſſima non muſſitare, ſed paſſim palàm declarare, & ſcriptis publicis divulgare; Quo jure noſtros, quibus *religionis* ſuæ profeſſio liberrima, *ſanctionibus Imperii publicis*, permiſſa eſt, *ea docere prohibere* audent, *ſine quibus noſtri in religione ſuâ* (*quam unicam credunt ſalvificam*) *inſtrui non poſſunt?* Et ſi, ipſomet *Autore* noſtro ſuffragante,

te,

te, *ſolummodo actus illi, qui in Transactionis Paſſavienſis, Pacis Religionis & Inſtrumenti Pacis impugnationem directè tendunt* d. *Art.* 5. §. 49. *prohibentur*, doctrina de *Papa Anti-Chriſto* & *Idololatricis* quibusdam *ceremoniis Pontificiorum*, non poteſt eſſe prohibita, cum illa ad impugnationem *ſanctionum Imperii* allegatarum neque directè neque indirectè tendant.

Contra ſupremas in terris Majeſtates humanas, contra omnium Imperii Conſtitutionum, imò ipſiusmet A. C. expreſſum tenorem, typis evulgantur) Hæc Dn. *Autor* non tantùm nudè aſſerere, ſed & probare debuiſſet. Contra impactum ipſis *crimen læſæ Majeſtatis*, propter doctrinam de *Papâ Anti-Chriſto*, maſculè ſe defenderunt *Theologi Electorales Saxonici*, in ſcriptis ſupraallegatis: der nothwendigen Vertheidigung des Augapfels cap. 7. nec non in der Haupt-Vertheidigung/cap. 86. & 87. Addatur D. *Muſæus* in præfatione *Vindiciarum Bibliorum*

Erneſtinorum. Dudum etiã *Vindicias Juridico-Politicas* ſcripſit *Theologorum Lutheranorum ab enormi crimine laſæ Majeſtatis, ex aſſerto Romani Pontificis Antichriſtianiſmo, ipſis calumnioſè imputato à JCtis Dillingenſibus*, JCtus Saxonicus celeberrimus, *Benedictus Carpzovius.* Ad quæ Pontificii hactenus, ne in ſpeciem quidem, aliquid reſpondere potuerunt. Deſinant ergò calumniari noſtrates, propter doctrinam, quam diu ante *Reformationem Lutheri* multi, non tantùm optimæ notæ Theologi & Politici, ſed & ex ipſis Cæſaribus *Henricus IV. Fridericus II. & Ludovicus IV.* in medio *Papatu*, publicè profeſſi ſunt, & adverſus *Pontifices Romanos* pro viribus aſſeruerunt. Qui deſiderant cumulum teſtimoniorum ipſorum *Pontificiorum de Papa Anti-Chriſto*, illis ſatisfaciet *D. Gerhardus* in *Confeſſione Catholicâ* lib. *2. Art. 3. cap. 6.* Haud immeritò etiam ex *Pontificiis* requiras, cur non potiùs *Judæis* blaſphemas ſuas in *SS. Trinita-*

tem

tem & *Salvatorem* noſtrum doctrinas, pro *crimine læſarum*, non tantùm *humanarum Majeſtatum Chriſtianarum*, ſed & ipſius *divinæ Majeſtatis*, quàm noſtris *Theologis*, doctrinam de *Papâ Antichriſto*, pro *crimine læſæ Majeſtatis Cæſareæ*, imputent? aut, ſi illorum blaſphemias errori intellectus condonare poſſunt, cur rigidiores ſint erga tale dogma, quod noſtri *Scripturæ Sacræ* teſtimoniis confirmari poſſe, & à cujus aſſenſu vel diſſenſu formali, æternam ſalutem exitiumve dependere, perſvaſiſſimi ſunt? vid. *Apocal.* 14. v. 9. 10. 11. c. 17. per tot. & c. 18. v. 4. & ſeqq. aut cur majori zelo injuriam, ex mente ipſorum, *Vicario Chriſti* à *Conſtatibus* ſuis, quàm ipſi *Principali*, à *Servis Imperii* illatam, vindicent?

Si ſcommatibus magis, quàm pietati, ſi acumini potius, quam veritati opera detur) Inculcent modò hæc *Status Romano-Catholici* Clericis ſuæ religionis, ne noſtros ſcommatibus laceſſant & provocent, & ſubinde, *novas diſputandi ar-*

tes contra noſtros excogitando, acumina ingeniorum ſuorum exerceant; tunc *Status Auguſtanæ Confeſſionis* ſuos quoq; Theologos intra terminos modeſtiæ coërcere non gravabuntur.

XX.

Quamdiu hùc uſque memoratæ, & vi Inſtrumenti Pacis in materiâ Religionis obſervandæ diſpoſitiones in Imperio duraturæ ſint? R. ***donec per gratiam Dei de Religione ipſâ convenerit.*** Art. 5. §. 2. verſ. donec. *u.*

u. SI *cum Erneſto* de *Euſebiis* hanc reſponſionem exſibilans, eas conſequenter perpetuò moraliter ſervandas dixeris, nil repono, niſi *omnem*

ater-

Digitized by Google

æternitatem politicam (qualis hæc) *habere finem*, & dum hic determinatè non cognoſcitur, perpetuam dici. Cæterùm ad ſubtiliſſimi *Caramuelis pacem licitam* demonſtratam brevitatis cauſa te remitto.

Et *cur veræ fidei unitatem conſequi impoſſibile judicas?* Si in *voluntate* detectum adſtruis, dices aliquid, ſed ea non minus mutationi ſubeſt. Si in *poteſtate*, falleris, Methodum enim certam, pacem religionis in Europâ, & veræ fidei unitatem, conſequendi, toti nuper Imperio Author quidam laudatiſſimus (*Joannes Semannus* inſcribitur) obtulit, quem inſpice.

NOTÆ.

Art. 5. §. 2 *verſ. donec*) Eſt §. 1. *Art* 5. Addantur verba merito ſuo æternitati conſecranda ejusdem *Art.* 5. §. 14. in fine: *Si verò, quod Deus prohibeat,*

de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit; nihilominus hæc conventio perpetua ſit & pax ſemper duratura. Quæ, ſi bonâ fide, ab omnibus partibus paciſcentibus, obſerventur, æternitatem etiam politicam, non niſi cum mundo ipſo finiendam, & cum pace verè æternâ commutandam, haud deſperabimus.

Methodum certam, veræ fidei unitatem conſequendi) Plures hactenus, præcipuè è *Romano-Catholicis*, ſaxum hoc cum *Syſipho* fruſtra volverunt, æquivocationibus & verborum lenociniis unitatem veræ fidei conſequi tentantes, & eâdem infelicitate volvent etiã impoſterum alii, niſi divina & extraordinaria acceſſerit illuminatio mentium, præconceptis de religione opinionibus occupatarum, quæ tamen optanda magis, quàm ſperanda, quia, Scripturâ teſte, *oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant,* 1. *Cor.* II. v. 19.

CON-

CONCLUSIO.

HÆC *ſunt*, Amice Lector, quæ de *Religione*, ejuſque ſive *publico*, ſive *privato*, *exercendi jure in Inſtrumento pacis* univerſaliora videbantur, quibus probè perſpectis, vix caſus occurrere poterit, cujus ſolutio exinde deſumi nequeat.

DIXI, *quæ univerſalior videbantur.* Ea enim, de quibus in Inſtrumento Pacis *ſpecialiter* diſpoſitum invenitur, ſive laudatiſſimæ *domus Auſtriacæ* terras, ſive *alios Imperii Status* in ſpecie concernant, ſuo loco & diſpoſitioni meritò relinquenda, hùc non ſpectant.

Reſtat nunc
DE JURISDICTIONE
ECCLESIASTICA
pauca addere.

Dicitur in Inſtrumento pacis *Art.5. §.16.* quod *Jurisdictio Eccleſiaſtica* contra *Auguſtanæ* Confeſſioni addictos quoscunque, in caſibus, eandem Confeſſionem concernentibus, uſque ad compoſitionem *Chriſtianam* diſſidii *Religionis*, ſuſpenſa eſſe, & intra terminos Territorii ſe continere debeat, quood idem legitur in pace Relig. §. damit auch obberührte. Ex quo

Colligitur 1. aliud eſſe, *non habere Jurisdictionem*, & aliud, *eam non exercere, ſeu eſſe ſuſpenſam*, donec, per gratiam *DEI*, mutatio interveniat.

Colligitur 2. Extra *Religionis* materiam, v. g. ad conſequendos reditus, cenſus, decimas, penſiones &c. Jurisdictionem Eccleſiaſticam *Catholicis* contra Auguſt. Confeſſioni *addictos* etiamnum hodie ſuſpenſam non eſſe, ſed plenariè exerceri, adeoque

poſt

poſt trinam denunciationem ad excommunicationem procedi poſſe, maximè ſi An. 1624. in poſſeſſione vel quaſi exercitii juriſdictionis illius fuerint, ut *loc. cit* expreſsè habetur.

„ *Quod idem* obſervandum erit, ſi „Auguſtanæ Confeſſioni addictus „memorato Anno 1624. jus Diæce„ſanum, quatenus Epiſcopus, in Ca„tholicos exercuerit, tale enim jus „(ad finem modò dictum) non minus „ei ſalvum foret.

Sed ad quem ſpectabit *jus cognoſcendi de cauſis Matrimonii, Divortii, commiſſæ Simoniæ, Juris Patronatus, Decimarum, & ſimilium cauſarum Spiritualium, in Diæceſi Catholicorum occurrentium?* Reſp. ſolutionem Quæſtionis hujus ab aliâ (adhuc indeciſâ) dependere, eâ nimir. quâ indagatur: *An jam memorata, & ſimi-*

les cauſæ ſpirituales Religionem ipſam propriè tangant vel non? Si Proteſtantes cum Catholicis negativam tenerent, eò, quod in hiſce nullus in religione, vel conſcientiâ ſuâ turbetur (prout & ipſi Proteſtantes varia *Matrimonia*, item *Simoniam* & *Divortium illegitimum*, &c. damnant, econtra *jus Patronatûs*, ac *Decimarum* recipiunt) nil obſtaret, quo minus *cauſa* illorum *Matrimoniales*, ac *Divortii*, ad Jurisdictionem Epiſcoporum Catholicorum tutò, ac ſalvâ pace religioſâ, devolvi ac in ſolatium partium, omnibus aliàs juris remediis quandoque deſtitutarum (& quid ſi præviâ appellationis renunciatione?) ibidem decidi poſſent, cùm, ſecundum opinionem Catholicorum, Jurisdictio in hiſce aliisq; ſimilibus cauſis ſpiritualibus, ſive Eccleſiaſticis, quæ fidem

&

& religionem propriè non attinent, erga A. C. addictos ſuſpenſa non ſit. Videatur Conſtit. pacis §. damit auch obberürhte/ *Item Cathol. gravam. 20. Junii* An. 1559 Auguſtæ exhibita. Adde inſuper ipſum Inſtrumentum Pacis. *Art. 5. Jus Diœceſanum. 16.*

Dein, eſto, afficiant cauſæ hæ quadantenus etiam ipſam religionem; Cùm tamen, ex unâ parte, in Confeſſione Auguſtanâ nil quidquã reperiatur, quo eidem addicti Status, à Catholicis tunc temporis, in hujusmodi cauſis Matrimonialibus, ſe diſſentire teſtati ſint; ex alterâ autem parte, Jurisdictio Eccleſiaſtica in iis tantùm caſibus, qui ipſam Confeſſionem concernunt, *dicto Art.* 5 §. 16. ſuſpenſa ſit, non apparet, quâ ratione, in hiſce occurrentiis, ſalvâ Auguſtanâ Confeſſione, ſalvo itidem

Inſtrumento Pacis, Proteſtantes Catholicorum Jurisdictioni Eccleſiaſticæ, Jurique Diæceſano ſe ſubducere poſſint.

Verùm, ſi, his omnibus non attentis, apud Proteſtantes in contrarium res jam deciſa eſt (*prout innuit Gylm. in Symphor. Sup. p. 1. tit. 3. fol. 187.* ubi ait: *cùm Jurisdictio Eccleſiaſtica, quoad religionem, conſcientiam, & ceremonias perſonarum in Auguſtanâ Confeſſione ſuſpenſa ſit.* §. damit es wieder: *ſequitur utiq; & in cauſis Matrimonialibus, reſpectu eorum, ſuſpenſam eſſe* &c.) So weiß ich denen hierbey etwan leydenden Hohen Stands-Perſonen Augſpurgiſcher Confeſſion / ſo dißfals keiner andern Jurisdiction unterwerffen ſeyn wollen / nit zu helffen / ſondern muß vielmehr mit denſelben ein Chriſtliches Mitleyden haben / Licet

(meâ

(meâ exiguâ opinione) *Conſtitutio alicujus, ejusque per totam Germaniam, cum ſupremâ poteſtate Eccleſiaſticâ, ac omnium Statuum Proteſtantium conſenſu, ad deciſionem ultimatam hujusmodi cauſarum ſpiritualium, ſaltem inter Illuſtres perſonas exortarum, authoriſati Conſiſtorii, & facillima, & conſultisſima foret.*

Si dixeris, unanimitatem hanc moraliter impoſſibilem, adeòque ſperandam non eſſe, abeo, & rem Deo committo.

Non tamen ſine lachrymis, quibus ea nos in tempora incidiſſe deploro, ubi non tantùm in hujusmodi, ſed & majoris momenti negotiis, ab omni Jurisdictione, omnique Superioritate Eccleſiaſticâ independentes nos (ſed, quæſo, quo animi non mentientis affectu? quo effectu?) miſerrimè gloriamur, ipſam, quam tamen

tamen in caducis & temporalibus rebus, mirum in modum ſibi invicem ſubordinatis, agnoſcimus, Dei Providentiam, in cauſis fidei, ac morum decidendis, ipſo facto negantes.

Liberas Imperii Civitates, ubi mixtæ religionis exercitium in uſu eſt, quod attinet, *Catholicis* ibidem Epiſcopis, contra cives Auguſtanæ Confesſionis, nulla eſt Jurisdictio. at Catholici, juxta obſervantiam dicti Anni 1624 ſuo jure experiri poterunt, *loc. ſupr. cit.*

De Bonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiaſticorum, indeque juribus dependentibus, & rebus quibuscunque, in præſenti nil tracto, quorum tamen & ſua mortalitas eſt, reditusque, tanquam pilæ, dadatim de manu in manum propelluntur. In his ſi ſtatum 1. Jan. 1624 unicè pro oculis

habue-

habueris, haud facilè aberrabis. Finio, & ex corde dico:

Da mihi animas, cætera tolle tibi.

N O T Æ.

Aliud eſſe non habere Jurisdictionem, & aliud, eam non exercere ſ. eſſe ſuſpenſam) Confirmat hæc *Autoris* ſententia ea, quæ ſupra ad *Quæſt. 9. de jure reformandi & ejus exercitio* diximus. Cæterum, *Proteſtantes*, contenti re ipsâ, hoc eſt, illimitato exercitio *Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, Romano-Catholicis Epiſcopis*, pacis obtinendæ & retinendæ causâ, hactenus ſpem inanem, quod illam aliquando, unione nempe *religionum* factâ, ſint recuperaturi, reliquerunt. Interim, ſi rem ipſam, prout in ſe eſt, remotis verborum umbraculis, conſideremus, *Status Proteſtantes* in *Imperio* noſtro, perinde atque *Reges Sveciæ, Daniæ, Norvegiæ & Angliæ, Jurisdictionem Eccleſiaſticam* in territoriis ſuis, antehâc ab *Epiſcopis*, eorumque anteſignano, *Papâ Romano*, ex principiis planè erro-

erroneis, ipſis ereptam & uſurpatam, poſtliminio quaſi recuperarunt. Ante *Reformationem* in *Germania Epiſcopi* ſoli in ſuis territoriis in ſolidum *Domini Territoriorum* fuerunt, *Principibus Laicis* in ipſorum *Territoriis* dimidiâ & nobiliore ejus parte, jurisdictione nempe *Eccleſiaſticâ*, ademtâ. *Laicos* nempe ejusmodi *Jurisdictionis* inhabiles planè declarantes, ſeipſos verò ſacrorum pariter & profanorum arbitros in ſuis, illorum verò etiam in alienis *territoriis* facientes, cum tamen, ex præſcripto *juris divini* & *dictamine rectæ rationis*, eos, qui *cultui divino* dicati ſunt, à curâ mundanorum abſtinere deceat. *Eccleſiaſtic.* 38. v. 26. & ſeqq. *Matth.* 20. v. 25-28. *Marci* 10. v. 42-45. *Lucæ* 12. v. 14. & c. 22. v. 25. 26. 27. *Joh.* 18. v. 36. *Actor.* 6. v. 2. & 2. *Tim.* 2. v. 4. Ex præpoſteris ejusmodi principiis duo præcipuè, in *Eccleſiâ* ſimul atque *Republicâ*, orta ſunt mala (1.) quod *Epiſcopi* munus ſuum proprium, hoc eſt,

ea,

ea, quæ vocare ſolent *Ordinis*, ferè neglexerint, & *Vicariis* ac *Suffraganeis* (mercenariorum inſtar ſc. id peracturis *Joh.*10.v.12.) adminiſtrandum commiſerint, ipſi interim ea, quæ *Principum ſecularium* ſunt, curantes (2.) quod *Imperatores & Principes* ſeculares ſub jugum *Epiſcoporum & Romani Pontificis* ita ſint redacti, ut hi pro lubitu, excommunicatione & ſacrorum interdictione, illorum ſubditos, ab obedientiâ debitâ, avocaverint, *Clerici* etiam *Laicis*, tàm in religione quàm circa mores, quicquid placuerit, præſcripſerint ac injunxerint. Quot & quanta bella inteſtina, cum effuſione immenſi ſangvinis Chriſtiani, temporibus præcipuè *Ottonum*, *Henricorum* & &*Fridericorum*, inde ſint enata, è *Scriptoribus rerum Germanicarum* plus ſatis conſtat. Quod autem hodie *Imperator* & *Principes ſeculares Romano-Catholici* ab hoc malo, ſi non in totum, ſaltem in tantum, liberati ſint, id, poſt

„*Deum*

„*Deum ter optimum Maximum, Luthero*
„ejusque reformationi,debent, adeoque, præter fas,eos, qui doctrinam ejus ſequuntur, tanto odio habent.

Extra Religionis materiam &c. Jurisdictionem Eccleſiaſticam Catholicis contra A. C. addictos etiamnum hodie ſuſpenſam non eſſe) Quamvis *Pax Religioſa* in *R. I. Auguſtano* de Anno 1555. §.20. talem limitationem faciat, eam tamen ad obſervantiam *exercitii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ iſtius temporis* expreſsè reſtringit. *Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ* autem Art 5. § 47. *jus Diœceſanum* & NB. *totam jurisdictionem Eccleſiaſticam NB. cum omnibus ſuis ſpeciebus, contra A. C. Electores, Principes & Status ſuſpendit*, &, non niſi unico caſu, admittit, *ſi* nempe *Romano-Catholici Epiſcopi Anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi exercitii illius Jurisdictionis in ditionibus Statuum A. C. fuerunt*, tunc enim illam quidem adhuc exercere, *excommunicationis* tamen *remedio*, non niſi *poſt tertiam demum denunciationem*

nem, uti poterunt. Si verò, extra hunc ſpecialem caſum, *Catholicus Epiſcopus* ad conſequendos reditus &c. ſuos, ex *Statu A. C.* præcipuè potentioris, territorio, hodie *excommunicationis* medio uti vellet, illud haud dubiè absque effectu foret

Quod idem obſervandum erit, ſi A. C. addictus) Mendosè, & cum inverſione ſenſus genuini, imò ſine ſenſu ullo genuino in Art. 5. *Inſtrumenti Pacis §. Jus Diœceſanum 47.* verborum finalium in *Corpore Receſſuum Imperii*, & aliquot aliis exemplaribus, diſtinctiones punctorum & commatum disjectæ ſunt. Lectio autem vera talis eſſe debet. *Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, jus Diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto.* Alii hunc paragraphum ita interpretan-

tantur, quod *Epiſcopis Romano-Catholicis* tàm in ſuos proprios, *Auguſtanæ Confeſſioni* addictos, quàm in *Statuum Auguſtanæ Confeſſionis ſubditos Romano-Catholicos*, *jurisdictio Eccleſiaſtica* & *jus Diœceſanum*, modo tamen ibidem limitato, & præprimis, quatenus illud anno 1624. quiete exercuerunt, ſalvum eſſe debeat. Quæ ambiguitas arguit, quibus artibus in *Tractatibus Pacis Weſtphalicæ Romano-Catholici* contra *Proteſtantes* uſi ſint, ut, quod hi pro parificatione *Statuum utriusque religionis* acceperunt, prout etiam accepit *Autor* noſter, iſti, pro re natâ, in ſui tantùm favorem, & præjudicium *Proteſtantium*, interpretari poſſent.

An jam memoratæ & ſimiles cauſæ ſpirituales, religionem ipſam propriè tangant vel non?) Sive hæ cauſæ religionem ipſam tangant, ſive non, *Epiſcopi Catholici* earum dijudicationem in ditionibus *Proteſtantium* nullo jure ſibi arrogare poſſunt. Si religionem tangunt,

gunt,

gunt, *Autore* noſtro adſtipulante, jurisdictio *Epiſcoporum* ſuſpenſa eſt. Utut autem religionem non tangerent, pro ſpiritualibus tamen à *Pontificiis* & *Autore* noſtro habentur. Jam verò paulò ante erroneum ejus principium, quod *Epiſcoporum Jurisdictio*, extra religionis materiam, contra *A. C. addictos Status* ſuſpenſa non ſit, refutavimus. Quas turbas daturum eſſet *exercitium Jurisdictionis Eccleſiaſticæ Epiſcoporum Pontificiorum* contra *Proteſtantes*, in cauſis enumeratis, quilibet ejusmodi rerum peritus haud difficulter judicare poteſt. Quis enim neſcit, *cauſas* plurimas *matrimoniales & Divortiorum*, ex diverſiſſimis & contrariis planè principiis, à *Proteſtantibus* & *Pontificiis* decidi? Et quis credet, *cauſas Simoniæ, juris Patronatus & Decimarum* abſtractivè à religione perſonarum, inter quas de iis quæritur, à Judicibus, odio irreconciliabili erga religionem *Proteſtantium* flagrantibus, deciſum iri? vid.

Schwe-

Schvvederum in *Juris Publici* Sect. 2. c. 17. §. 29. uſque 38. ubi d. §. 29. exempla adducit Mandatorum ſine clauſulâ à *Camerâ Spirenſi*, contra *Epiſcopos Romano-Catholicos*, decretorum, *Evangelicos* in *cauſarum Matrimonialium* cognitione turbantes.

In ſolatium partium, omnibus aliàs juris remediis quandoque deſtitutarum) *Conſiſtoria Statuum Proteſtantium & Reformatorum* ſubditis ſuæ religionis in ejusmodi cauſis longè majori ſolatio, quàm exteri, à *Religione* ipſorum diſſidentes, ſunt & eſſe poſſunt, nec illi hactenus queſti ſunt, ſe juris remediis quandoque deſtitui. Quod enim de *cauſis matrimonialibus* ipſorum *Statuum* inter ſe poſtea affertur, cum cauſis, quæ vertuntur ſaltem inter ſubditos eorum, non eſt confundendum.

Ex unâ parte in Confeſſione Auguſtanâ nil quicquam reperiatur, quo eidem addicti Status à Catholicis tunc temporis in hujusmodi cauſis matrimonialibus ſe diſſen-

ſentire teſtati ſunt) Quid verò *cauſæ matrimoniales* ad *Articulos fidei* inter *Romano-Catholicos* & *Proteſtantes* controverſos, aut per calumniam Proteſtantibus ab adverſariis eorum imputatos, de quibus ſolùm in A.C. agitur? Præterea ſupra ad *Quæſt.* 4. jam demonſtratum eſt, *Proteſtantes Status* nullibi ſe obſtrinxiſſe, quod nihil aliud credere aut docere velint, quàm quod in *Auguſtanâ Confeſſione* continetur.

Ex alterâ autem parte Jurisdictio Eccleſiaſtica in iis tantùm caſibus, qui ipſam Confeſſionem concernunt d. Art. 5. §. 16. ſuſpenſa ſit) Jam ante ex d. *Art.* 5. §. 47. contrarium demonſtratum eſt. Si enim *tota Jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus* ſuſpenſa eſt, non tantum in caſibus *Confeſſionem concernentibus* ſuſpenſam eſſe oportet. Noſtram ſententiam etiam confirmat praxis non contradicta ab iis, quorum nec voluntas nec poteſtas contradicendi impedita eſt ab aliis, optima *Inſtrumenti Pacis* interpres.

So weiß ich denen hierbey etwa leidenden Hohen Standes-Perſonen A. C./ſo dißfals keiner andern *Jurisdiction* unterworffen ſeyn wollen / nicht zu helffen) Propter caſus ejusmodi ſingulares *A. C. addicti Status* vix ſe ſuosque *ſubditos jurisdictioni Epiſcoporum*,in cauſis ſæpe ante enumeratis,ſubjicient , hæc enim medicina pejor ipſo morbo eſſet. Et ſicut *fœderati Belgæ* aut *Cantones Helvetici* ei aures faciles præbituri non eſſent, qui Statum ipſorum hodiernum deplorare vellet , in quo non tam facilè diſcordiæ ipſorum inteſtinæ ſopiri poſſent, atque olim tempore ipſorum majorum , cum iſti *Hiſpanorum Regi*, hi verò *domui Auſtriacæ* ſubeſſent; Ita *Proteſtantes Imperii Romano-Germanici Status* libertatem ſuam modernam cum ſervitute majorum ſuorum denuò permutare talibus argumentis perſvaderi ſibi non ſinent. Sanè, non alia incommoda ex independentiâ *Statuum Proteſtantium in cauſis matrimonia-*

nia-

nialibus emergere poſſunt, quàm ex *Regum* aliorumque *ſupremorum Principum*, qui *Epiſcoporum* & *Papæ* nutibus annuere non ſolent, cauſis ſimilibus. Quando ſcil. ii, qui in his terris ſive in totum, ſive in tantum, ſuperiorem non agnoſcunt, conrra dictamen conſcientiæ & rectæ rationis aliquid perpetrant, cauſa *Deo* eſt committenda, qui ſuo tempore ab iis, qui poteſtate ſuâ abutuntur, rationem ſatis ſeveram exacturꝰ eſt. vid. 2. *Sam.* 12. & ſeqq.

Hactenus ſaltem iſti *Status A. C.* qui cauſæ ſuæ juſtitiam aliis probare voluerunt, in *cauſis Matrimoniorum & Divortiorum* inter ipſos exortis, vel propria ſua, vel aliorum *Statuum* ejusdem Confeſſionis, à partium Studiis alienorum, Conſiſtoria conſuluerunt, aut ſponte cauſas ſuas eorum cognitioni ac deciſioni ſubmiſerunt, vel ad *Auſtregas* provocarunt, vel etiam certos *arbitros Compromiſſarios* conſtituerunt, qui *causâ cognitâ* & utriusque

partis fundamentis exploratis, Acta deinde ad Collegium unum aut plura JCtorum, & interdum etiam ſimul Theologorum exterorum, transmiſerunt, & horum Reſponſis vel unanimibus, vel pluribus in unam ſententiam concurrentibus, ſine ulteriori provocatione, acquieverunt.

Interim non negandum eſt, conſtitutionem alicujus *Conſiſtorii per totam Germaniam, cum ſupremâ poteſtate*, ac *Imperatoris* omniumque *Statuum Proteſtantium* & *Reformatorum* conſenſu, longe efficacius remedium, quàm priora eſſe, cauſarum ejusmodi, inter Illuſtres perſonas, decidendarum, neque unanimitas, propter difficultates quasdam, pro planè impoſſibili habenda, modò ſeriò res in *Comitiis* aliquando inter *Proteſtantes* & *Reformatos Status* tentaretur.

Ad ſuperandam difficultatem collationis magnorum & novorum ſumtuum, tali *Conſiſtorio ſupremo* impen-

den-

dendorum, expedire videretur, ſi *Conſiliariis Judicii Aulici Imperialis* & *Aſſeſſoribus Cameræ Spirenſis Proteſtantibus* & *Reformatis* ſolis, excluſis *Catholicis*, cognitio & deciſio ejusmodi cauſarum, ſtylo, in aliis cauſis utriusque iſtius *ſummi Tribunalis* uſitato, committeretur, aut, ſi propter multitudinem negotiorum ordinariorum, *Conſiliarii* & *Aſſeſſores* præſentes haud ſufficerent, iis pauci aliquot novi & extraordinarii, matrimonialibus præſertim cauſis expediundis deputandi, adjungerentur, qui ſimplices quotidie occurrentes querelas inter *Conjuges Illuſtres*, de ſimplici & plano vel amicabiliter componerent, vel per *Proceſſum ſummariiſſimum* aut *ſummarium* celeriter terminarent, in rebus verò majoris momenti v. g *Divortiorum*, cum cæteris Collegis ejusdem Religionis conferrent, & conſilio maturo, vel unanimiter, vel per majora, eas deciderent, atque ut executioni decentibus mediis man-

darentur, curarent. Nam & hîc locum habet, quod ſcribit *Brunnemannus de Jure Eccleſ.* lib. 3. c. 1. §. 5. *Quamvis ſoleant Theologi in Conſiſtoriis Eccleſiaſticis adhiberi, id quod, ubi receptum, meritò obſervandum, non eſt tamen exiſtimandum, hoc ſimplicis eſſe neceſitatis. Nam quædam cauſæ Eccleſiaſticæ tantùm ex jure Canonico vel etiam Civili decidendæ, quædam certam ſui definitivam habent.* Ex quarum numero hodie apud *Proteſtantes* ſunt *cauſæ matrimoniales.*

Hoc temperamento adhibito concedi poſſet aſſertio *Mevii* parte 2. *Deciſ. 365. Si inter Status Evangelicæ Religionis orietur de matrimonialibus cauſis controverſia, ſuſpensâ Jurisdictione Eccleſiaſticâ, Judicem eſſe, qui aliàs de ipſorum cauſis cognoſcit, ita ut vel ad Auſtregas, vel, ubi illæ ceſſant, aut locum vimque habere nequeant, ad Cæſarem in Aulâ vel Camerâ iri poſſe.* Aliàs enim, ſi *Cæſar* quà *Romano-Catholicus*, aut *Romano-Catholici Conſiliarii & Aſſeſſores* pro *judici-*

bus

bus cauſarum matrimonialium inter Status Evangelicos admitti deberent, aſſertio hæc praxi hactenus receptæ & ſanæ rationi adverſaretur. De praxi teſtatur ipſe *Mevius* ibidem, quod ſc. *Cameræ Imperialis* (& conſequenter etiam *judicii Aulici*) *de matrimonialibus non ſit jurisdictio, ſed ſi vel incidenter in aliam cauſam matrimonialis ita incidat, ut præjudicum faciat, ad aliud competens forum remittatur.* Ratio autem *Mevii*, quod *ex ſuſpensâ Epiſcoporum jurisdictione hoc proficiſcatur, ut ad jus vetus redeatur, ideoque de matrimonialibus ſic ſtatui & judicari debeat, ut ante Eccleſiaſtici ordinis arrogantiam circa eam juris morisque fuerit*, repugnat Statui tum Politico tum Eccleſiaſtico *Imperii* noſtri. Quomodo enim, ſalvo jure *Statuum Imperii*, & ſine novâ *Reip.* mutatione, rediri poteſt ad jus *Cæſarum*, quòd habuerunt tempore *Juſtiniani* & aliquot ſequentium ſeculorum in *ſubditos Imperii Romani?* Et quomodo, ſalvis prin-

cipiis hodiernæ *religionis Romano-Catholicæ*, rediri poteſt ad *jus* vetus *Juſtinianeum* de *matrimonialibus* v. g. de *prohibitione graduum* & *divortiis*? Sanè *Romano-Catholici* in ejusmodi cauſis, ſalvâ conſcientiâ, non niſi ſecundum principia *Juris Canonici* (principiis *juris Civilis* è diametro repugnantia) ſententias ferre poſſunt.

Ab omni Jurisdictione omnique ſuperioritate Eccleſiaſticâ independentes nos (ſed quæſo, quo animi non mentientis affectu? quo effectu) Non obſcurè innuit *Autor*, quorum cauſam hîc agat. Sed valdè vereor, ut in caſſum laboraverit. Ad talem enim *Syrenum* cantum *Status Proteſtantes* & *Reformati* ſurdas aures habent. Et quamdiu diſſenſus in Religione durabit, tamdiu uni religioni addicti, alterius religionis aſſeclas pro judicibus in cauſis, ſive *religionem* ſuam ipſam, ſive ea, quæ cum religione connexa ſunt, concernentibus, non agnoſcent. Imò, ſi *Religionum Conciliatio*

ad-

adhuc ſperanda eſt, vix tamen ea aliter impetrari poterit, quàm præviâ illâ conditione ſine quâ non, ut inpoſterum par in parem, imò plerumque, ratione originis & nativitatis, inferior in ſuperiorem ejusque ſubditos, nullam ſibi *Jurisdictionem* in *Eccleſiaſticis* ſive *puris* ſive *mixtis* arroget, ne imparitas illa *Statuum*, & formatio *Status in Statu*, nova, antiquis haud abſimilia, *Monſtra in Rep.* producat.

Plauſibili Dn. *Autoris* ſententiæ de *ſuperioritate Eccleſiaſticâ*, quam ipſe hîc verbis admodum generalibus & ambiguis effert, dabimus *Patronum* ſuæ *religionis*, & quidem *Ordinis Eccleſiaſtici* ſummæ authoritatis. *Bellarminus* Tom. I. de *Pontifice Romano* lib. 1. c. 4. §. *Sed habemus &c.* probare conatur, *quod una debeat eſſe Monarchia ſpiritualis*, quia ſc. hæc eſſet optima forma, cum *Mundus* ſine controverſiâ à *Deo* optimè gubernetur. Jam verò non *multos Mundi Moderatores*, ſed *Unum*, nempe *Deum*,

eſſe. Hæc Collectio ſi procedit, ex eâ etiam *Patronus Monarchiæ ſecularis Univerſalis* ſimiliter ſententiam ſuam probare poteſt. Sic olim *Alexander M.* Imperium totius Orbis affectans, ſimili argumento uſus eſt apud *Curtium* lib. 4. c. 11. *Nec mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma regna, ſalvo ſtatu terrarum, poteſt habere.* Sunt & inter Jureconſultos & Politicos (vid: *Bartolum* ad l. 9. n. 7. ff. *de capt. & poſtlim. reverſ.* ubi *hæreticum* pronunciat *eum, qui Imperatori Romano jus neget etiam in remotiſſimos & incognitos hactenus populos imperandi, cum ſit Mundi Dominus.* Adde *Campanellam de Monarchiâ Hiſpanicâ* in Appendice & *Feld.* ad *Grot.* lib. 2. c. 9. §. 12.) qui ſibi aliisque perſvadere volunt, univerſum genus humanum, ſicuti jam ſe habet, uni Imperio humano debere ſubjici, atque id demum remedium fore bellorum & turbarum, quibus diverſæ Reſpp. aliæ ab aliarum Imperio cæteroquin independentes, invi-

invicem colliduntur, ſi omnes non niſi unius civitatis cives forent.

Si jam ejusmodi *Monarchiæ Univerſalis Patronus* etiam ſtatum aliorum *Regum* & *Principum ſecularium* præſentem deploraret, *quod ab omni Jurisdictione omnique ſuperioritate independentes (quæſo quo animi non mentientis affectu) miſerrimè glorientur!* Quid quæſo huic reſponſurus eſſet Dn. *Autor?* Si quam aptam reſponſionem excogitare poterit, gratâ eam mente acceptabimus, ſed certò ſperamus, eam noſtræ quoque cauſæ contra ipſum patrocinaturam eſſe. Benè ſc. *Grotius* Apolog. c. 5. ait: *Sunt, qui putant, utile futurum, ſi totus Orbis, præſertim Chriſtianus, uni poteſtati pareat. Sed ridentur ab aliis talia commenta. Nam perfectum in re quâq; intelligi debet non nudâ contemplatione, ſed inſpecto, quid materia ferat aut recuſet.* Hæc, ut noſtro applicemus propoſito, dicimus: Cum *Deus* homines ita condiderit, ut quilibet fidei ſuæ

rationem ipſi aliquando reddere debeat, nec excuſatio aliquando ſufficiat, quod quis crediderit, ſicut voluit is, ſub cujus *Juriſdictione Eccleſiaſticâ* vixit, exinde ſequitur, quod homines contra conſcientiam ſuam nec poſſint nec debeant cogi ad illud externè profitendum, quod vult is, qui habet *Juriſdictionem Eccleſiaſticam*, uti fit in *Papatu*, ubi homines coguntur ad externam fidei profeſſionem, & *credere, quod credit Eccleſia.*

Nam, quoad *libertatem conſcientiæ, Deus* omnes & ſingulos homines *independentes* ab aliis hominibus eſſe voluit. In externis verò dependentiam eſſe oportet, *propter bonum ordinem in Eccleſiâ ſervandum*, quam ſi quis agnoſcere nolit, non igne & ferro ad illam agnoſcendam cogendus eſt, quamvis juberi poſſit à *ſummo Imperante*, ut *Rep.* excedat. Sicuti autem probari non poteſt, quod per *totum mundum*, vel ad minimum per *totam Chriſtianitatem*, debeat

beat eſſe *unus Imperans ſecularis*, ita quoque probari nunquam poterit, quod debeat eſſe *unus Imperans ſpiritualis.*

In caducis & temporalibus rebus, mirum in modum ſibi invicem ſubordinatis, agnoſcimus Dei providentiam, in cauſis fidei ac morum decidendis ipſo facto negantes.) Si *Dn. Autor* intelligit *Univerſalem ſuperioritatem ſecularem*, falſa eſt ejus aſſertio, ſi *particulares* agnoſcit *ſuperioritates*, hoc ipſo confirmat noſtram ſententiam. Præterea *in decidendis controverſiis temporalibus* non niſi *temporale* & Politicum *verſatur intereſſe*, quod in eo conſiſtit, ut ſubditi cujusque Reip. tranquillè & pacificè invicem vivant. Ututigitur *Prætor* interdum *iniquè decernat, jus tamen reddere dicitur* l. 11. ff. *de J. & J.* quia Reip. intereſt, lites civium non in infinitum protrahi, ſed quomodocunque tandem finiri, autoritatemque rei judicatæ, etiam cum damno unius alteriusve ſubditorum, conſervari. *In decidendis* verò

cauſis fidei & morum verſatur intereſſe æternæ beatitudinis, adeoq;, ſi in illis *hominem* errori obnoxium pro *judice infallibili* agnoſcimus, jacturam animæ in æternum irreparabilem facere poſſumus. *Matth.* 10. v. 28. & c. 15. v. 14. *Act.* 4. v. 19. 20. Et quia neque in *Veteri*, neque in *Novo Teſtamento*, *Deus* talem *ſubordinationem*, in decidendis *cauſis fidei & morum*, fecit, ut certum hominem aut certum hominum ordinem, harum judicem conſtituerit, nos etiam plus *DEO* ſapere, & alios aliorum conſcientiis dominari non decet. Imò tale Imperium & talem ſubordinationem providentia divina *Regni ſui, quod non eſt de hoc mundo*, (*Joh.* 18. v. 36.) Præfectis ſeverè interdixit *Matth.* 20. v. 25-28. 2. *Cor.* 1. v. 24. 1. *Petri* 5. v. 1. 2. 3.

Man-

Mantiſſa

Quæſtionum aliquot affinium.

XXI

AN Status Provinciales & Subditi (v. g. Comites, Barones, Nobiles aut Civitates Municipales) ſint ſubjectum habile Jurisdictionis Eccleſiaſticæ? Affirmatur de ſubditis Auguſtanæ Confeſſionis & Reformatis, non verò de Romano-Catholicis, de illis etiam non ordinarie, ſed per modum exceptionis.

Probatur per textum expreſſum *Inſtrumenti Pacis Cæſareo Svecici* Art. 5. §. 30. *Hoc tamen* (quod nempe *Domini Territoriales* in Paragrapho præcedente pro ordinario ſubjecto *juris reformandi exercitium religionis* adeoque etiam *Jurisdictionis Eccleſiaſticæ* poſiti erant) *non obſtante, Statuum*

Catho-

Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & Subditi cujuscunque generis, qui ſive publicum, ſive privatum, Auguſtanæ Confeſſionis exercitium, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, quâcunque anni parte, ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu, aut ſolâ denique obſervantiâ dicti anni, habuerunt, retineant id etiam impoſterum NB. unà cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt. NB. Cujusmodi annexa habentur inſtitutio Conſiliorum, Miniſteriorum tàm Scholaſticorum, Jus Patronatus, aliaque ſimilia jura, nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum Templorum, Fundationum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, cum omnibus pertinentiis, redditibus & acceſſionibus.

Quæ verba continent (1.) in genere

nere *exercitium Religionis Auguſtanæ Confeſſionis, unà cum annexis.* (2.) diverſas & principaliores *ſpecies Jurisdictionis Eccleſiaſticæ*, quales ſunt, *inſtitutio Conſiliorum, Miniſteriorum, tàm Scholaſticorum, quàm Eccleſiaſticorum, Juris Patronatus NB. & ſimilium, Templorum, Fundationum, Monaſteriorum, Hoſpitalium NB. cum omnibꝰ pertinentiis, reditibus & acceſſionibus*, & (3.) modos *Jurisdictionem Eccleſiaſticam* acquirendi, qui recenſentur 1 *certa pacta aut privilegia.* 2. *longus uſus* aut 3. ſola obſervantia anni 1624.

Confirmatur id ulterius per d. *Inſtrum. Pacis* Art. 5. §. *Jus Diœceſanum* 47. *ubi Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status provinciales & ſubditi, qui Anno* 1624. *Eccleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt*, tantum *in iis caſibus modo dictæ jurisdictioni ſubeſſe juben-*

jubentur, *qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt*, cum ulteriori limitatione, *modò ipſis, occaſione proceſſus, nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans*. Jam, ſi *Catholicorum A. C. addicti Status & ſubditi* Anno 1624. *jurisdictionem Ecclesiaſticam Catholicorum Territorii Dominorum* plane non agnoverunt, ſed eam ipſi exercuerunt, ex mente hujus paragraphi, eam etiam impoſterum agnoſcere non tenentur, ſed ipſimet exercere poſſunt.

Et hoc non tantum procedere in *Statuum Catholicorum ſubditis Auguſtanæ Confeſſioni addictis*, ſed & in *Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditis ejusdem religionis*, teſtes omni exceptione majores habemus *Heigium apud Klockium Tom.* I. Conſ. 52. & *Mevium* parte 2. Deciſ. 305. utrosque in

causâ

causâ der Stadt Stralſund contra die Königliche Pommeriſche Regierung/ quibus adde *Brunnemannum* in *juris Eccleſiaſtici* lib. 3. c. 1. §. 4.

XXII.

AN Dominus Territorialis Romano Catholicus, ſubditis ſuis, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, qui cum exercitio religionis ſuæ ab Anno 1624. ſimul in poſſeſſione vel qvaſi Calendarii Veteris Julianei fuerunt, illud abrogare, & novum Gregorianæum ſurrogare poſſit? Negatur.

Ex ratione textuum in præcedenti Quæſtione allegatorum. Si enim *Subditi Auguſtanæ Confeſſioni addicti* capaces ſunt *Jurisdictionis Eccleſiaſticæ cum omnibus annexis & pertinentiis*, in cujus poſſeſſione vel quaſi ab Anno 1624. fuerunt, iis *annexis & pertinentiis* etiam annumerandum eſt *Calendarium*, quatenus illud apud ipſos,

ipſos, & pleroſque reliquos *Auguſtanæ Confeſſioni addictos*, Anno 1624. in uſu fuit & adhuc eſt, cum Dominicis hebdomadariis & feſtis tum fixis tum mobilibus, & quidem tamdiu, quamdiu, unanimi *Cæſaris* & *Catholicorum* atque *Evangelicorum Statuum* conſenſu, aliud *Calendarium Univerſale novum* introducatur. vid. *R. I*, de Anno 1654. §. Ob auch wol 158.

Cum enim *Calendarium novum*, autoritate *Pontificis Romani Gregorii XIII.* Anno 1582. ſit editum, *Pontifex* verò *Romanus* dudum per ſolennia anathemata *Proteſtantes & Reformatos Eccleſiæ* ſuæ gremio excluſerit, & adhuc quotannis per *Bullam S. Cœnæ*, ut vocant, eos excommunicet, *Epiſcoporum* verò *Romano-Catholicorum jurisdictio Eccleſiaſtica* etiam in proprios ſubditos *Auguſtanæ Confeſſionis* (niſi

quate-

quatenus hi illam Anno 1624. agnoverunt, & in iis ſaltem caſibus, qui *Auguſtanam Confeſſionem* non concernunt) ſit ſuſpenſa, eam quoque quoad *Calendarium* (cujus ordinatio, ex *Romano-Catholicorum* hypotheſi, ad *Jurisdictionem* non *ſecularem* ſed *Eccleſiaſticā* pertinet) usq; ad *conciliationem religionum*, ſuſpenſam manere oportet. Quid? quod & adhuc in exhi„bendis ſupplicationibus,dandis de„cretis, expediendis Proceſſibus & „documentis,ſignandis productis,& computandis terminis, cæterisque actibus judiciariis,ſemper dies *Veteris Calendarii* in *Camerâ* apponatur, ex inveteratâ conſvetudine. Similiter in cauſis appellationum narrata ſupplicationis & formalia ſecundum *Vetus Calendarium* juſtificanda & in margine annotanda ſint, teſte *Blumio* in *Proceſſu Camerali* tit. 62. §. 4.

His

His, quæ diximus, non obſtant ea, quæ *Reinking de Regimine Seculari & Eccleſiaſtico* lib. 3. Claſſe 1. c. 2. n. 34. & ſeqq. habet: *Quod* ſcilicet, *ſi ſuperior, propter rationes Politicas, non verò Dominationem Pontificiam, mutationem Calendarii urgeat, & recuſantibus ferrum minetur & flammas, melius ſit, parere, quàm reſiſtendo rebellandi occaſionem præbere, vel Reip. ſalutem in diſcrimen offerre, quia non inter fidei referatur Articulos feſtorum & dierum mutatio, ſed pro re merè habeatur adiaphorâ.* Alia enim eſt *Quæſtio juris*, de quâ ſolâ nos agimus, alia, quid *ratione conſcientiæ* & *ſecundum regulas prudentiæ* agere expediat, ſi *Dominus territorialis* vim inferat, & legum diſpoſitiones eludat, opprimatve. Tum enim utique & nos adſtipulamur, quod ex duobus malis minimum eligen-

ligendum, & potius *Calendarii* mutatio ſubeunda, quàm *religio* ipſa majori periculo & perſecutioni ſubjiciendа ſit.

XXIII.

AN Domino Territoriali, an verò ſubditis, qui exercitium diverſæ religionis ab Anno 1624. liberum habuerunt, competat indictio feriarum extraordinariarum & ſolennium? Reſp. *Quarundum indictio competit Domino, quarundem verò ſubditis.*

Quod in celebratione *feriarum ordinariarum* ſecundum *Calendarium Vetus*, *Subditi Auguſtanæ Confeſſionis* à *Domino Territoriali Romano-Catholico* non ſint turbandi, nec iis invitis *Calendarium novum, Pontificis Romani* autoritate factum, obtrudendum, in Quæſtione præcedente aſſertum eſt. De *feriis extraordinariis ſolennibus*

bus v.g. ob electum novum *Princi-pem* , ob reportatam ab hoſte *victo-riam*, ob concluſam *pacem*, ob ceſſan-tem *peſtem*, & ſimiles lætos, raros ta-men , eventus,qvin & *preces & jeju-nia publica*, ob eventus triſtes & lu-ctuoſos, v.g. propter *mortem Princi-pis*, diſſenſionem circa *electionem ſuc-ceſſoris*, imminens periculum *belli*, *pe-ſtis* , &c. nova quæſtio & dubium exurgit, cum & hæ paris conditionis cum prioribus eſſe videantur.

Sed, ſalvo aliorum judicio, diſtin-guendum nobis videtur inter *ferias extraordinarias*, *ob lætitiam luctumve ſe-cularem aut eccleſiaſticū*, *ſive religionem ipſam concernentē*, *aut mixtum*. Quæ re-ligionē ipſam concernunt, v.g. apud *A.C. addictos* ſunt anniverſariæ aut ſeculares *feſtivitates* in memoriam *Reformationis Lutheri*, exhibitæ *Augu-*

ſtanæ

ſtanæ Confeſſionis, obtentæ *Pacis Religioſæ*, conditæ *formulæ Concordiæ*; item *preces pœnitentiales* & *jejunia* ob imminentem *religioni Lutheranæ* apud nos vel alibi perſecutionem, & ſimilia. Hujusmodi *ferias aut preces pœnitentiales* ſolennes indicere jus eſt *ſubditis*, quibus competit *liberum religionis* ſuæ *exercitium* cum annexis, & *jurisdictio Eccleſiaſtica*, per textus Quæſtione præcedente allegatos. De *feſtivitatibus* verò & *precibus pœnitentialibus*, ob *eventus lætos triſtesve* merè *ſeculares*, omninò ex l. 26. §. 7. ff. *ex quib. cauſ. maj.* & l. 4. C. de *feriis*, & ad hanc *Brunnemanno*, ſtatuendum, quod ſolus *Princeps* eas indicere poſſit, cum ea indictio annexum ſit *juris Territorialis*, nec *Jurisdictionis eccleſiaſticæ*. Sed hoc de *indictione* ſaltem *feriarum*, non item de *ordinatione ſacro-*

mnoſus exiſtit, adeoque talis victoria apud *territorii Dominum* ejusque *ſubditos* contrarios planè affectus movet. Tales ferias *Dominus Territorii ſubditis* ſuis, utpote *libertati religionis* & *conſcientiis* ipſorum adverſas, injungere non poteſt, arg. Art. 5. *Inſtr. Pac. Caſ. Svec.* §. *Jus Diœceſanum* 47. ibi: *modo ipſis nihil injungatur conſcientiæ repugnans*, cui textui jungatur Pſ. 137. v. 3. & ſeqq.

XXIV.

AN Dominus territorialis Romano-Catholicus ſubditis ſuis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, quibus ab anno 1624. liberum religionis ſuæ exercitiū competit, cantionibus & precibus, quibus hi Deum orant, ut ipſos cuſtodiat à tyrannide Romani Pontificis ſacrâ & idololatricis cultibus religionis Pontificiæ, interdicere poſſit, tanquam injurioſis in ipſum territo-

rii Principem, aut mutationem earum injungere? Negatur.

Fundameta negationis ex iis, quæ ſupra ad Quæſt 4. 19. & 21. latè adducta ſunt, peti facilè poſſunt. Quibus enim *liberum*, imò *liberrimum*, *Religionis ſuæ exercitium*, legibus publicis permiſſum eſt, illis ea, quæ *religioni* ipſorum conſona ſunt, prohiberi jure non poſſunt. Et, *qui jure ſuo utitur, nemini facit injuriam*. Cum etiam in variis tractatibus ſuper *pace religionis*, inter *Status religione diſſidentes*, *Romano Catholici* nunquam de *Proteſtantium cantionibus* aut *precibus* ejusmodi, tanquam injurioſis in illos, queſti ſint, aut illa abrogari aut mutari petierint, adeoque etiam *legibus publicis* prohibita nunquam fuerint, regula vulgata & hic locum habet: *Quod prohibitum non eſt, cur ſtare*

Digitized by Google

re prohibeatur? Quô accedit, quod, quæ *religioni* cuilibet intrinſeca ſunt, prohibitione externâ mentibus eorum, qui eam ſeriò ſectantur, eximi nullo modo poſſint. Utut enim profeſſionem externam ſeverisſimè prohibeas, prohibitio tamen iſta, pro more ingenii humani, quod in vetitum ſemper acriùs nititur, nihil aliud operabitur, quàm ut, quod palàm proferre non licet, clam tantò ardentiùs & ferventiùs fiat.

Sed & hìc idem, quod ad præcedentem Quæſtionem 22. jamjam monitum, repetendum eſt, quod ſc. aſſertio noſtra, de ſolâ *Juris Quæſtione* intelligenda ſit. Non enim abnuim⁹, quod ſi *Dominus Territorii* viâ facti, cum comminatione majoris mali, omiſſionem aut mutationem ejusmodi precum aut cantilenarum urgeat,

obſequium oppoſitioni violentæ præferendum ſit, cum ea, quæ omittenda aut mutanda urgentur, de ſubſtantiâ *religionis Evangelicæ* non ſint, ſed ea quoque absque iſtis ſalva & incorrupta manere poſſit.

Tantùm.

IN-

Digitized by Google

Index Primus

QVÆSTIONUM.

I.

QVare de Religionis materiâ in Inſtrumento Pacis diſpoſitum ſit? p.20.

2.

Quid ſit Religio? p. 37.

3.

An inter ipſos Imperii Status ſit Religionis diverſitas? p.39.

4.

Quotuplex ſit eâ inter Imperii Status Religionis diverſitas? p.42.

5.

An nominatæ jam tres Religiones iisdem prorſus Imperii juribus & beneficiis hodie gaudeant? p.73.

6.

An præter duas ultimas nulla alia in S. R. Imperio Religio permiſſa ſit? p 78.

7.

An, ſicuti libertas Religionis, ita etiam con-

conſcientiæ in Inſtrumento Pacis permiſſa ſit? p.81.

8.

Quid, ſi ex Catholicis Archiepiſcopus, Prælatus, vel alterius ordinis Eccleſiaſtici Antiſtes, ſolus, vel unà cum ſuis Capitularibus aut Canonicis, aliquibus, vel omnibus, Religionem ſuam poſthàc mutaret, & ad alterutram ex duabus permiſſis tranſiret? p.84.

9.

An ſecularis aliquis Imperii Status (Princeps v. g.) Religionem ſuam poſthàc mutans, ſubditos ſuos ad eandem noviter ſuſceptam adigere poſſit? p.91.

10.

Quodnam tempus, tàm ratione exercitii Religionis, ſive publici ſive privati, quàm aliarum rerum, Religionem concernentium, pro normâ & Regulâ univerſali obſervandum? p.102.

11.

An, qui nullâ dicti Anni 1624. parte publicum vel privatum religionis ſuæ exercitium

tium habuerunt, & tamen diverſam à Territorii Domino religionem habeant, eamque deinceps profiteri volent, ab eodem Domino ad eam, quam ipſe profitetur, religionem compelli poſſint? p.109.

12.

An quilibet ob Religionis diverſitatem à Territorii Domino ad emigrandum cogi poſſit? p.118.

13.

An Feudi Dominus, vigore directi Dominii, Religionis ſuæ exercitium in illud introducere poſſit? p.121.

14.

An Dominus directus (intellige reſpectu des Pfand-Herrns*) in terras antehàc oppigneratas, & demum ad ſe reverſas, Religionis ſuæ exercitium publicè introducere poſſit? p.122.*

15.

Quid, ſi inter duos diverſarum religionum Dominos, de jure Territorii ac Superioritatis controverſia ſit, an ambo publica

religionum ſuarum exercitia introducere poſſint? p.129.

16.

Quid ſi duo diverſarum Religionum, unius tamen Territorii, ex æquo Domini ſint, an hoc caſu quilibet publicum Religionis ſuæ exercitium ibidem inſtituere posſit? p.131.

17.

An liberis Imperii Civitatibus, tam ratione juris reformandi, quàm aliorum caſuum, religionem concernentium, idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus jus competat? p.137.

18.

In quo conſiſtat publicum & privatum Religionis exercitium? p.152.

19.

An etiamnum hodie liceat de Religione diſputare? p.159.

20.

Quamdiu huc uſque memoratæ, & vi Inſtrumenti Pacis, in materiâ Religionis obſer-

obſervandæ, diſpoſitiones in Imperio duraturæ ſint? p. 166.
Conclusio p. 169.
Appendix *de Jurisdictione Eccleſiaſticâ.* p. 170.

21.

An Status Provinciales & Subditi (v. g. Comites, Barones, Nobiles, aut Civitates Municipales) ſint ſubjectum habile jurisdictionis Eccleſiaſticæ? p. 199.

22.

An Dominus Territorialis Romano-Cathotholicus, ſubditis ſuis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, qui cum exercitio religionis ſuæ ab Anno 1624. ſimul in poſſeſſione vel quaſi Calendarii Veteris Julianæ fuerunt, illud abrogare, & novum Gregorianum ſurrogare poſſit? p. 203.

23.

An Domino Territoriali, an verò Subditis, qui exercitium diverſæ Religionis ab Anno 1624. liberum habuerunt, competat

petat indictio feriarum extraordinaria-rum & ſolemnium? p. 207.

24.

An Dominus Territorialis Romano-Catholicus, ſubditis ſuis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, quibus ab anno 1624. liberum Religionis ſuæ exercitium competit, cantionibus & precibus, quibus hi Deum orant, ut ipſos cuſtodiat à Tyrannide Pontificis ſacrâ & idololatricis cultibus Religionis Pontificiæ, interdicere poſſit, tanquam injurioſis in ipſum Territorii Principem? p. 211.

Index Secundus
ALLEGATORVM
Ex

A.

Arnobio Quæſt. 4. p. 52.
Augapffels der Evangeliſchen Vertheidigung Q. 4. p. 59. Q. 19. p. 163.
Auguſtanâ Confeſſione. Q. 4. p. 44. 52. Q. 19. p. 161.
Auguſtanæ Confeſſionis Apologiâ. Q. 4. pag. 54.
Auguſtino Q. 4. p. 45. & p. 55.

B.

Bartolo. *de Juriſd. Eccl.* p. 194.
Bellarmino. *de Juriſd. Eccl.* p. 193.
Blumio. Q. 22. p. 205.
Brunnemanno. *de Juriſd. Eccl.* p. 190. Q. 21. p. 203. & Q. 23. p. 209.

C.

Caramuele. Q. 8. p. 88. & 91. Q. 20. p. 167.

